ANTIGONUS TRAGOEDIA MORALIS HABITA IN COLLEGIO ROMANO SOCIET...

Giovanni Battista Giattini




BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
19 G
22

ANTIGONVS

TRAGOEDIA MORALIS


Habita in Collegio Romano Societ. IESV *Ludis Mineruαlibus ad Præmiorum diſtributionem.*


AVCTORE

R. P. IO: BAPTISTA GIATTINO

SOCIETATIS IESV.







ROMAE, Typis HH. Corbelletti. 1661.


SVPERIORVM PERMISSV.



EMINENT. AC REVER. PRINCIPI

FEDERICO SFORTIAE

S. R. E. Card. Amplissimo.





TRagædia, quæ sub auspicijs tui nominis, & munificentiæ in Scenam prodijt, diuturniorem sub ijsdem vitam optat edita in lucem publicam; cùm ergo Principum sit bonis artibus patrocinari, Tuum erit, Em. P., hoc etiam communi nomine hanc

opellæ meæ qualemcunque tenuitatem, oris tui, & benignitate complecti, & maiestate reddere digniorem; sed animos adhuc addunt audaciæ meæ singularis erga me, meaque omnia significatio beneuolentiæ tuæ, qua meam tibi addictissimam voluntatem semper humanissimè suscepisti, & familiaritatis tuæ suauissima festiuitate sæpiùs respersisti; quando igitur te semel ad mea dimittere dignatus es, graue ne sit exigui munusculi obsequio tuæ gratiam dignitatis afflare. Vale.


Eminentiæ Tuæ

Obsequentissimus Seruus

Io: Baptista Giattinus.



SCENA EST HIEROSOLYMIS.



Rgumentum fabulæ fundamentum habet in historia Iosephi Hebræi propè initium libri primi de bello Iudaico. Sic autem à Poëta contexitur. Aristobulus è Machabæis ortus Hierosolymæ Rex duos habuit fratres Antigonum Strenuum belli ducem, & Oniam, qui ex proditionis suspicione detinebatur in Carcere. Antigonus ex bello contra Idumæos feliciter gesto triumphaturus aduenerat, & Onias, Manasse Antigoni, & Hircano Regis filio apud Regem deprecatoribus eductus è carcere ad fratris triumphum duplicem proditionem contexit, vt vtroque fratre sublato solus Regnum capessat: Regi enim persuadet Antigonum ipsi necem moliri ope Naboti Regi vel in primis cari, Antigono verò suadet Nabotum habere in animo Regem occidere priùs, deinde ipsum Antigonum, adeòque rem gerit callidè, vt ad colloquium Nabotum, & Antigonum impellat, quo per astum alter alterius animum detegat, tandem post varios rerum euentus rei veritas patescit, & fraus ipsa deluditur.

PROLOGVS.

GLORIA, LABOR, ET SOLERTIA.

Gloria Triumphali curru, ac Sfortianis Leonibus vecta dat negotium Labori, atque Solertiæ, vt è singulis Classibus digniores seligant ad præmia Illust. Abbatis Antonij Sfortiæ liberalitate proposita.

Gl. EN Sfortianis vecta Leonibus
Gloria hic adsum celebres Mineruæ
Datura ludos omine fausto,
Inter augustos generata fasces
Sfortia proles
Longa cui fulget series auorum
Clara martis adorea
Pacis artibus inclita,
Cui triumphos, & trophæa
Insulasque, laureasque
Sæpè congessit generosa virtus.
Cui purpurata Syrmata,
Cui dominas Coronas,
Et metuenda Sceptra
Cui regias habenas,
Obsequia, & tributa
Ampla regnandi tribuit potestas.
Ergo Sforziadum nobile germen


Anto-

Antonius flos Rhetorum
Me vocat vt celebri dispensem præmia ritu
Gregorianis digna Palæstris
Præmia Sfortiadũ quæ regia dextra profundit.
Vos Labor, & Solertia
Qui Palladium ducitis agmen
Promite cõcordes selectam ad præmia pubem.

Lab. Gloriæ nutus alacer capesso.

Sol. Gloriæ votum sequor imperantis,
Decet Palladis artes
Ornare donis auspice gloria,
Et Sfortiano Stemmate
Gregorianæ gymnadis coronare labores.

Gl. At quò nobilior respergat gratia ludos
Palladis, hæc tragicos referẽt proscenia nexus.
Rex solymæ fratris deceptus fraude triumphos
Antigoni fratris fraterno penè cruentat
Funere, dum premitur confficto crimine virtus;
Sed capta suo fraus ipsa dolo
Inuita sibi retia nectet,
Claraque tandem documenta dabit
Sæpè moliri sua damna fraudem
Dum parat clades alij nocentes.
Veritas ergo dominetur Orbi,
Occidant fraudes, repetant Auernum,
Pereant, fugiant, repetant Orcum.




GOSVVINVS NICKEL
Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm Tragœdiam P. Ioannis Baptistæ Giattini nostræ Societatis Sacerdotis, Latine conscriptam, cui titulus est Antigonus, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos spectat, ita videbitur, in cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloque nostro munitas damus. Romæ 28. Maij 1661.

Gosuuinus Nickel.

ACTVS



ACTVS PRIMVS,

SCENA PRIMA.

Rubenus, Manasses:

Rub. TVus ad triumphos genitor edomito redit (grauis;
Ab hoste, spolijs, gloria, & palmis
Vrbem pererrant gaudia, & furtim means
Sublustre quiddam Carceri spargit diem;
Illhic sepultus Patruus, & fœdo licet
Squallore mersus sensit optatum iubar,
Reducisque Patris decora gratatur tibi.
Sibique fratris: vincla si collum vetant
Aptare collo, liber in vinclis amor
Tenaciore corda complexu ligat.
Ma. Mihi æstuantes viuida semper face
Patrui calores veneror, & cordis pares
Prætendo flammas; vnica hæc nubes meum
Fœdat serenum, quod triumphalem diem
Nondum secundo Patruus vultû beet.
Rub. Et squallor hinc acerbior Oniam opprimit;

Sibi

Sibi vincla non horrescit, arridet si tus
Horrorque tetri Carceris ab Aula procul
Et quicquid aulam submouet, gratum micat;
Tibi sua vincla horrescit, atque aulam tibi,
Tuisque cæcæ fraudis artificem timet.
Plausus, triumphos, laureas toruo fremens
Fastidit Aula lumine, & scelerum ferax
Palmis cupressos inserit; Regum super
Trophæa fraudis arte molitur rogos.
Ma. Quid hos, Amice, turbidus adumbras metus?
Patruique sensa quis repentina pauor
Cura flagellat? fare quid tandem feras?
Rub. Arcanus aliquis Patruum infestat sonus;
Aestu timoris agitur; Antigono timet
Occulta fraudum retia; hinc cautis prius
Vallare monitis fratris ingressum parat.
Tuum est mouere quicquid extremum potes,
Cuncta experiri, liber vt turris Cauo
Patruus triumpho sternat indemnem viam,
Fratrisque cautè figat in tuto pedem.
Ma. Non temerè fluctus æstuant; vrget propè
Latens procella; Purpuræ infelix decor
Quò lætius renidet, in clades suas
Eò tristiores innocèns nimbos trahit.
Vt ergo Oniam liberem, lachrymas, preces
Artes, amicos, sanguinem, memet modos
Flectam per omnes, nil inexpertum, nihil
Ad hæc inausum deseram; aut numquam parens,
Aut comite Onia regium limen teret.
Rub. Tam pia secundus ausa fortunet Polus.

SCE-

SCENA SECVNDA.

Manasses, Abnerus :

Ma. SEd qualis oritur notus hinc oris tenor !
Patris ne fidus celerat huc gressum comes!
Abnerus est. *Abn.* Abnerus optati decus
Vultus adorat; faustus occursus diem
Læto auspicatur omine. O quales tui,
Auidos paternus vrget amplexus amor !
Ma. O Prona votis sydera ! vbi tandem parens
Victricia locat signa ! quo sistit loco ?
Abn. Fractis Idumes viribus, abactis fuga
Arabum cateruis, militem eximijs agit
Spolijs onustum; iamque solymorum propè
Subsistit ille mænia, & regis prius
Veniam reposcit, quàm triumphantes ouans
Turmas per vrbem ducat, atque aulam petat.

SCENA TERTIA.

Manasses, Abnerus, Hircanus, Ioabus,

Hirc. PRoh quam serenam phœbus accendit diẽ,
Quæ tibi parentẽ, frater, & Patruum mihi
Inter trophæa reuehit, & claræ domus
Laudes vetustas gloria inspergit noua !
Ma. Sparsus per ora risus, & fronti insidens
Tua hæc voluptas, nectaris pœnè obruit
Mea corda fluctu : sit vetus quamuis amor

Spe-

Speciem leporis explicat ſemper nouam.
Abn. Per me tuâ redux ora venerari occupat
Antigonus. *Hir.* ipſe Patruo occurram obuius.
Abn. Aulam ſubibo, Regis vt frontem colam;
Hir. Quid hìc moramur? Capitis optati diù
Et nos latenter ire in amplexus iuuat!
Ma: Reſiſte Princeps, ardua hoc tempus iubet
Amoris auſa, mollia amplecti vetat:
Amor ipſe amorem comprimat, vt inſons amet.
Hir. Quæ te laceſſit cura? quos voluis metus?
Ma. Nutat periclo proxima parentis ſalus.
Hir. Quæ ſpectra fingis? *Ma.* certa ſtat dicto fides.
Hir. Summam timoris explica; ſemper tuos
Ardens in vſus, noſter accurret Cruor.
Ma. Te dignus ardor feruet, & talem minax
Ruina poſcit; quippè in Antigonum dolos
Furtim per Aulam ſerpere è turris ſinu
Fraudis patrandæ conſcius Onias monet,
Et turbines minatur, & clades tonat.
Hir. Quis in tenebris obrutum quamuis leuis
Conceptæ in aula fraudis irrepat vapor?
Ma. Quot inter Aulæ ſibila auritos vibrat
Viſus Onias? Quot oculatas arrigit
Aures licet ſemotus, & clauſus cauo?
Ioab. Semper ſagaces permeant aulam canes
Docti receſſus pectorum, & quicquid latet
Senſim ſubire! defluit ſemper ſcelus,
Et improbis ſe pandit, haud fidit bonis.
Ma Cui res nouæ, cui turbidus rerum placet
Decurſus, omnes regiæ callet dolos.
Ioab. Quicumque linceus abditos luſtrat ſinus
Laten-

Latentis Aulæ, peruigil Oniæ excubat,
Et fidus explorator; hinc vni ſtrepit
Quicquid ſuſurrat regia, hinc cæcos fluens
Aula in meatus tota ſub turrim migrat.

Hir. Heu quis pericli fomes intentat minas?
Quæ forma ſceleris, quis locus, tempus, modus?

Ma. Inſtare clades anxius Onias monet,
Sed ſpondet idem, turre ſi liber queat
Adire Patrem, penitus auulſis mali
Fibris daturum proſperas rerum vices.

Hir. Non hæc Onias temerè, nec falsò canit;
Noſter labor ſit vnicus, quauis via
Eruere vinclis Patruum abrupta mora.

SCENA QVARTA.

Rex, & qui ſupra.

Rex. IN noſtra lætus vota ſe voluit dies.
Fraterna felix ora multiplici diu
Diſtracta marte reddet hic phœbi nitor.
Quænam triumphi gaudia, quis Vrbis decor
Tua, frater, æquent merita? fraterno in ſinu
Tibi aptiores extruet pompas Amor.
Idem tamen prægeſtit auguſtas vias
Fratris triumpho ſternere, & præſens fori
„ Ornare moles; Regis abſentis calor
„ Vix fulgurat, ſi ferueat præſens, tonat.
Adeſte cara pignora, & Patrui, & Patris,
Seruite pompis; æmulus creſcit labor.

Hirt. Addis furenti calcar. *Ma.* ardenti faces.

Sed

Sed quò voluptas auctior inundet diem
Patris triumpho nobilem, & rupto effluat
Effrænis alueo gratiæ augustæ lepor,
Placare Princeps, publicam in lucem extrahe
Vinclis Oniam, nulla pars nostræ domus
Sit lucis expers; nec triumphali die
Pars vlla nostri sanguinis desit Patri

Hirc. Hoc da tuorum precibus, & si quis rigor
Mentis repugnat, prolis hic ardor tuæ
Patris rigorem soluat, & flectat sibi.

Rex. Miscere turbis gaudia, & faustam diem
Tetro vapore perdere hic ardor parat.
Est sanguis ille sanguinis nostri pudor,
Domusque claræ degener sordet genus;
Molitor idem fraudis, & regni appetens,
Nostrum cruorem rabie inexahusta sitit.
„ Inuidia semper æstuat, quamuis niues
„ Mentita vultu, pectore ærumnas coquit:
„ Ne fide Monstro, sæpè dum palpat, ferit,
„ Pestemque risu vibrat, & blandè necat.

Ma. Quas ille turbas vnica conflet die!

Rex. Quas iam sub vmbris longa digessit mora.

Ma. „ Cautum est abunde, cū patet fraudū Caput.

Rex. „ Cautū est abunde, cùm premis fraudū Caput.

Ma. Fallere tot vnus lumina, tot aures queat?

Rex. „ In sole noctem concipit fraudis vapor.

Ma. „ Reges timere Carceris squallor docet.

Rex. „ Spes orta Regni dedocet cunctos metus.

Ma. „ Spes omnis expes inuias cernet vias

Rex. „ Nunquàm putatur inuia ad regnum via.

Ma. Suo iam Onias detumet doctus malo.

Rex. Liber magis tumeſcet. *Ma.* eſt fractus vigor.
Rex. „ Non frangitur natura. *Ma.* ſed flecti ſolet.
Rex. „Ad ſe redit iam libera. *Ma.* haud ſtatim tamẽ;
Rex. Quẽ timeo vinctũ, liberũ heu quantũ horreo.
Ma. Vigil tuorum ſoluet horrorem fides.
Rex. In tua peroras damna; ſollicitas dolos
Tibi innocenter noxius; ſi te mouet
Patrui verendum nomen, & noſtri quaſi
Concurſus vnà ſanguinis, fœda lue
Corruptus ille terreat ſanguis magis;
Odiumque amoris nomine obtectum paue.
Ma. Tua ſenſa cautis fulta conſilijs colo,
Monitiſque tanti Capitis ardorem rego
Iuuenilis animi, nec mei, vel tam impotens
Vel tàm tenax exæſtuo, vt nondum impetum
Tam perſpicacis mole rationis premam.
At prouidæ dum mentis imperium ſequor,
Et mea coarcto vota, diſcruciat magis
Me preſſus ardor, nec ſinit læto frui
Animi tenore: videar aut mutilam Patri
Aptaſſe pompam frigidè, aut precibus meis
A te repulſam turpè deſpectus pati.
Hic mihi medullas peruicax rodit dolor.
Hir. Si tuta ratio, Genitor, hoc donum negat
Votis precantum, prodigum ſemper ſui,
Noſtraque flecti ſemper aſſuetum preco
Regale pectus annuat, ſi quid, Pater,
Peccabis, in nos peccat ardeſcens amor.
Rex. „ Peccemus: ipſe venia peccati eſt amor,
Veſtris Oniam precibus, & votis damus.

SCE-

SCENA QVINTA.

Nabotus, & Aletes.

Na. HEu quam ruinam regia facilitas trahet
Nimis malorum prodiga ! è turris sinu,
Quinè profunda suscitat Erymnin styge.
Quid sceptra gestat quisquis ad molles preces
Impos liquescit? victa si ratio labat,
Aut scelere pulsa cedat, aut blanda prece
Par est ruina. fæminas mollis decet
Sensus, virilem Principem fortis rigor.
Al. Puer, Nabote, regnat; ad speciem gerit
Aristobulus inclitas regni notas;
Populis dat ore Patrui leges Nepos.
Sic ille regis pectus in cunctas trahit,
Fingitque formas; Sic & Hircanum sua
In sensa pellax flectit, & reditu Patris
Proh quantus iste regiam opplebit puer!
Nab. Nō temerè ab vmbris Carceris Oniameuocat,
Non hæc amor lacessit, haud Patruum dolet,
Patruique sortem, nec triumphanti Patri
Exile mendicatur è latebris iubar.
Molitur aliquid, aptat ad fraudes fabrum;
Aulæ tumultus ista libertas agit.



SCE-

SCENA SEXTA.

Onias, Manasses.

On. PEr te renatus lustro phœbæam facem,
Cœlique compos liberas auras traho;
Per te resurgens reddor, & Patriæ, & mihi.
Ma. Tibi redditus mihi reddis,& partem mei.
On. Sed nox, & horror Carceris tetris adhuc
Me cingit vmbris, nec diem pectus capit,
Dum fraudis inter illices aulæ fides
Semper dolosa fratribus tendit plagas,
Vt imparatum perfida vtrunque implicet.
Ma. Aulæ reclude scelera. *On.* vix capiet fides
Immanitatem fraudis, at claris mihi
Concredita notis Carcere sub imo patet.
Ego nempè primam sceleris in partem vocor;
Quo turpe facinus regius honestet color
Ma. In spes nefandas mentis audacem impetum
Flexisse quisnam potuit ex aulæ grege?
On. Sat est, nec vltra tende, dum fraudis vapor
Adhuc sub vmbris clausus in fulmen coit,
Est opprimendus; perge, genitorem mone;
Actus procella noxias rumpat moras,
Huc aduolet mendace prætectus Sago.
Ipsi dolosæ machinæ auctorem, modum,
Et quicquid est moliminis clarè eloquar,
Vestraque nixus obruam fraudes ope.
Ma. In tua citatum Iussa conuertam pedem

SCENA SEPTIMA.

Onias, Rubenus.

SAt est, abundè, solus hic voto dies,
„ Satis, superque: non amant fraudes moram,
„ Repentè feruent: feruidæ semper nocent.
Lux hæc furori victimas gratas meo
Vtrumque fratrem cæde properata dabit.
Ego ne sepultus horrido turris situ
Noctes perennes exigam? & peior mei
Pars sanguinis sub regio, fratres, lare
Dent Iura mundo? regna, delicias, opes,
Vt fert libido, deuorent? heu quod scelus
Sopit Tonantis fulmina? quis æqui arbitrum
Mentitur amens æthera? indignum probrum,
Cœlum, vel Orcus iubeat, extinguam nece.
Rub, Quid in querelas pigra decurrit dies?
Molire fraudes tempori, regem pete.
On. Regem euocaui, solus vt solum alloquar.
Rub. Furiale virus euibra; emissam styge
Agas Megæram; suscita odiorum faces;
Fratres, Nepotes, regiam, mundum crema.
On. Vincam Megæras, odia tartareis adhuc
Ignota furijs moliar; texam dolos
Quos nulla finxit scena, vel Pindi furor.



SCE-

SCENA OCTAVA.

Onias. Rex.

On. O Ptata fratris lumina, & regis ſimul
Adoro frontem. Quicquid hoc tandē mei
E mortis vmbra remeat, eſt donum tuum,
Tuiſque ſupplex obteri plantis petit.
Rex. Aſſurge frater; fare quid monſtri geras:
Cuſtode cinctus arbitros arcet locus.
On. Nefanda fabor, turpia, horrenda, impia,
Et quæ reluctans lingua detrectat loqui.
Tuus amor in te perfidas vrget manus,
Fratri triumphos extruit, cædem Tibi;
Hæc lux beatam regiæ obtendens diem,
Tibi in ſupremam, ni caues, noctem occidet;
Rex. Heu quos nefaſtus augur obgannis metus!
On. Fratri fidelis præcino inſtructos dolos,
Noſces Oniam, frater, & quales alant
Mea corda flammas; fraudis, an amoris calor
In hos timores exprimat linguæ ſonum;
Res voluitur atrox, effera, haud laruas cano;
Tua nex paratur, & mea, (horreſco loqui)
Mea hæc vocatur impium ad vulnus manus;
Regnique pars, facinoris in partem datur.
Rex. Quis fraudis auctor, quis locus, tempus, modus?
On. Heu vox hebeſcit: retrahit linguam pudor;
Eſt, eſt profandum; verba tua cogit ſalus.
Tuum cruorem ſugere, vt regnum vnico
Abſumat hauſtu, gurges immanis cupit


Cunctasque ad hoc pertentat impatiens vias.
At quis? (quid hæres? improbū horrorem excute
Vox torpida) heu quem maxime reris tuum,
Et pænè temet alterum efflictim peris,
Antigonus in tua vulnera Antigonus parat,
Acuitque ferrum; cæde fumantem tua
Ardet subire regiam, vt totam occupet.
Hæc est triumphi meta; Victoris labor
Hic est supremus: arma fraterna nece
Resperſa tandem ponet Antigoni manus.
Peruerte facinus, inque sceleratum caput
Iam iam trisulcas euibra Numen faces.
Rex. Vel somnias, vel arte compingis tua
Figmenta sceleris; vlla ne in fratrem cadat
Vel tenuis vmbra labis, aut noxæ color?
On. ,, Nexus amoris, Iura, naturam, fidem,
,, Fratres, parentes, quicquid est sancti, ac pij
,, Libido regni rabida absumit lue.
Qua te Manasses nuper obsedit prece
Quo mea leuares vincula? an temere? an mei
Rere hoc peractum gratia? ad funus tuum
Præoptor, heu me perditum! & turri extrahor
Quod credar in te rabida tot pressus malis
Odia medullis alere, nec quidquam efferus
Ardentius sitire, quam cædem tuam.
Mea probra cogor eloqui. Sat sum necens,
Quod credar esse posse. iam scelere impior
Ad quod minister seligor. Semper meum
Fuit hoc, vt insons viuerem, & credar nocens.
Rex. Aestu maligno fluctuo, huc illuc agor,
Perspecta fratris indoles, virtus, fides,
Flam-


Flammiſque ſemper mutuis creſcens amor
Crimen repellunt; crimen hinc dirè tonant
Indicia fratris; alterum cogor miſer
Damnare fratrem: ſcelere fraterno appetor;
Alteruter eſt, aut fratricida, aut proditor.
On. Sim proditor, ſim fraudis horrendæ faber
Sim fratricida, ſim nouum mundi nefas,
Ni tutè fratris ſcelera contrectes manu.
Vtinam timorum ſpectra, & vmbrarum minas
Anceps mouerem! certa, nil dubium fero;
Satin Naboti, cuncta cui pandis tuæ
Arcana mentis, pura tibi candet fides?
Rex. Intacta candet, nec ferè làbis capax.
On. Nabotus ergo, quam times in me fidem,
Timore ſoluet; adeat Antigonum mea
Inſtructus arte; ſpondeat cæcas fores
Ad tua recluſas funera. & quantum poteſt,
In te rebellem pectoris motum exprimat.
Sum proditor, ni perfidi fratris ſcelus
Tuus Nabotus ore ab impuro bibet.
Adhuc Oniam voce ſuſpenſa times?
Diſquire tute peſtis occultæ caput,
Agnoſce fratres, & quid interſit vide
Fictos amores inter, & veram fidem.
Rex. Stat experiri; longa non ſerpit via
Qua crimen atrox certa deprendat fides.



Aperti maris species videbatur, quæ cum Angonautis nauis Argos præmia deferebat pro tertia, & secunda classe. His distributis ab ipsis Argonautis chorea ad rei celebritatem agebatur.

Gl. AGe iam prono labere ponto,
Nobilis Argo,
Tibi veliuolum
Læta serenat Thetis argentum
Arg. En Carina ter beata
Tenet optatam Palladis oram;
Salue tellus fortunata;
Tuba vocem da sonoram,
Tuba clange concitata.
En quæ deuehit Argos
Præmia Sforziadæ puerilibus apta Palæstris
Gl. Iã quos Grãmaticæ primos sibi legit Alumnos?
Lab. Hos dat tertia classis
Sol. Hos secunda
Ad Sforziana Præmia.
Arg. At vos heroes Romanæ lustra Mineruæ
Agite, hic festo celebrate choro.





ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

Rubenus, Manasses, Ioabus.

Rub. ADi Parentem concito vectus gradu.
Io. Mandunt parati fræna Cursores Equi.
Ma. Breuiora per Compendia vrgebo Viam.
Rub. Compelle Patrem: nulla vos figat mora.
„ Alit pericla lentus, extinguit celer.
Ma. Latus perurens calcar est Patris Salus.
Io. At Militum par nobile huc tendit gradum.
In altero sat forma Tobiæ micat;
Alter (Manasse cernin?) Antigonum refert.
Ma. Quantum Parentis obtinet? qualis Color
Illudit oculos? Patris hic formam gerit:
Io. Sed nil Paternum vilior præfert Chlamys
Iam quò fit ille propior, eò plus fit Parens.
Ma. Quid cesso? quin iã brachia amplexũ ferunt?
Optate Genitor.

SCENA SECVNDA.

Manasses, Antigonus.

Ant. NAte, pars melior mei.
Carũ ne pignus teneo? proh dulcis Quies
Post tot Labores Martis? ò felix Parens
Tandem cupito prolis amplexu fruor.
Ma. O clara Patris Lumina, ò frontis Lepor
Vos intuor? vos haurio? hinc Vitæ nouas
Auras resumo: Genitor haud vnus venis;
Et te simul restituis, & me met mihi.
Sed cur latentis More priuatus redis?
Ant. Fratris, tuique, Nate, me impatiens Moræ
Amor videndi traxit; hinc faustum petam
Omen triumpho: sed quid amplexus adhuc
Fratris moramur? *Ma.* Siste, fraternos vetat
Hæc hora Vultus. *Anti.* Fratris amplexum negas?
Ma. Securiores Seruo; nunc aliò, Pater,
Inflecte curas, quò vocat fratris Salus.
Adstat, Viamque pœnè iam Sonipes vorat,
Quò te cierem rapidus, vt qualem modò
Huc te reuexit aliquis è Cœlo fauor,
Talis venires Veste sub falsa latens.
Ant. Quis turbo? quæ nos agitat, aut Spes, aut Metus?
Ma. Occulta fraudum semina, instructas Neces
Tuum ad triumphum vix mea liber prece
Tremens Onias conscius rerum monet,
Seriemque fraudis iam tibi Arcanò canet.
Ant. Heu fœta nimbis regia Aeolium Specus;

Sinu

Sinu recondis, Oris & Risu tegis:
Nullum ne solem prorsus innubem sines?
Ma. Ioabe, Oniam, citior hic adsit, mone.
Hic tute fraudis ordinem, & quidquid latet
Ab Ore fratris excipe, & certam para
Regno medelam, ne qua prorumpat lues.

SCENA TERTIA.

Onias, Antigonus.

Oni. Dilecte frater, Genibus, haud Collo decet
Indigna tanto brachia amplexu dare.
Ant. Assurge, fratrem, fratris amplexu excipe.
Oni. Olent catenas brachia, & Turris situm;
Natura fratrem Regibus, Seruum dedit
Me Sors, & Artis inuidæ impostor potens.
Ant. Ni surgis, vna corruam; Regno parem
Te, frater, animus, Sanguis, & Virtus facit,
,, Sit Aula quamuis inuida, integritas tamen
,, Inusta falsis pulchrior claret Notis.
Oni. Pectus serenas, frater, exhilaras Diem;
Meisque grata obliuia inspergis malis.
Ant. Hic te fouebit igne fraterno Sinus.
Sors vna vtrumque attollet, vtrumque opprimet.
Oni. Fratri, ac Nepoti seruiam: quo vis rear
Regno potiri, aut frater, aut regnet Nepos.
At nos pericli pœnè iam Vortex rapit,
Tuum est in ipso frangere exortu malum,
Primamque mox extinguere exitij luem.
Ant. Quis te periclo proximus terror quatit?
Oni.

Oni. Ingens; amoris quippe ſub fuco latens :
Quem ſumma Regis gratia, & flagrans amor
In altum tollit, aula cui ſeruit tremens,
Fædumque regni ſceptra famulatum exhibent,
Qui Rege maior pœnè regnantem regit,
Nabotus (heu quis credat ?) in Regis necem
Conſpirat, inhiat, ardet; & toto furit
Acheronte feruens, meque ſcelerata allicit
In vota ſocium, voce, quo Regnum occupem,
Re, quo per aſtum regerat in noſtrum caput
Scelus patratum; noſco bifrontis dolos,
Et quid medullis ardeat, me non latet.
Ant. Hæc monſtra profert aula, & has furias alit
Quocumque peior tartaro ? has Regum fauor
Hydras, Ceraſtas, Gorgonas, peſtes fouet ?
Hæc hæc Nabotus, Regis ardeſcens Amor ?
Regis voluptas ? Regis & lux, & quies ?
Et potuit ipſe mentis obtutus ferox
Signare amanti in pectore ad vulnus locum,
Nec arſit ille obtutus ab amoris face.
Oni. „ Regnantium hęc in monſtra degenerat fauor,
„ Commiſſa famulo Sceptra, regnandi acriùs
„ Exaſperant libidinem; quiſquis ſemel
„ Regnat miniſter, regnet vt Dominus, flagrat.
„ Seruit regendo, regna qui famulus regit,
„ Seruile regnum vota non ſaturat, famem,
„ Rabiemque nutrit, ſceptra quo reddat ſua,
„ Soliumque ſeruo conſtruit, regi rogum.
Ant. Sed quam ſceleſtis proditor ſperat viam
Aperire votis ? quo dolo Regem petet ?
Oni. Me perfidus pertentat; in clades meas

Pro-

Propensa Regis odia facundo vafer
Colorat astu; me fremit nulla reum
Noxæ vel vmbra fratris inuidia opprimi:
Ni forte peccem, quod nec ignauam gero
Ad sceptra dextram, quodque fraternam arguo
Virtute maior, indolem, sic me biceps
Hac palpat Arte; iamque fatalem monet
Instare sortis munere oblatam diem,
Vt cùm per Vrbem scilicet ouantes ages
Victor phalangas, militum promptam manum
Ad omne facinus, arcis ad cæcas fores
Sub nocte mittas, has per occultam viam
Nabotus ipse ducet ad Regis torum.
Ant. In me Nabotus potuit hoc tantum nefas
Sperasse vecors? fratris vt sparsum traham
Cruore syrma? fratris vt busto gradus
Ad iura solij construam? hoc sperat scelus?
Oni. ,, Id quod placet speratur, & mentem allicit.
,, Quæ patimur ipsi, credimus cunctos pati:
,, Et nostra in alijs fingimus vota, vt lubet.
De te tamen veretur, addubitat, timet,
Sed non tamen desperat, & sperat mea
Aliquid ab arte, nempe te ad Regnum allici
,, Nostro susurro: posse nec sceptrum putat
,, Offerri, idemque respui quo vis licet
Venale scelere; sperat hinc facile in sua
,, Te pertrahendum vota; lux regni vnica
,, Rationis omnes illico extinguit faces.
Hinc maioris in te machinæ insultum expedit,
Cui me ministrum subrogat fraudis faber:
Nempe vt paratam mentiar cædem tibi
Ab

Ab Rege, quippe pondus inuidiæ graue
Partumque per te nobilis palmæ decus,
Plaususque non ferente; sic iustum trahi
Posse in furorem sensa victoris putat.
Quo par pari præoccupes cautus scelus.
Ant. Hæc, hæc, lanista mente furiali coquit?
Et patitur æther, & solum suffert onus?
Oni. Non hic Nabotus sistit: haud vno est Satur
Fratris cruore; sanguinem alterius sitit;
Tua quippe adurgens fata in insidijs parat
Locare quidquid regium cingit latus
Qua Turris arctat tramite angusto viam;
Et falsa Regis iussa mentitus dabit.
Vt dum per arctos callis amfractus redis
In castra, telis obrutus Regis cadas.
Ant. Quas iste pestes? quam luem? quantam stygem
Eructat Orcus? frater, heu frater nimis
Deluse, tales educas angues sinu,
Qui tua, tuæque viscera arrodant domus?
Tigres, Leones, Aphricæ immites feræ
Potiùs vocandæ in Regias, quàm hominum genus
Sui met expers, proditor, & hostis sui.
Sed quid querelis agimur? ad Regem doli
Fluxit ne quidquam? *Oni.* Penitùs occultum latet.
Ant. Quin ergo Regi detegis? *Oni.* Claudam, occulã.
Ant. Regi infidelis? *Oni.* Seruo sic Regi fidem.
Ant. Celando fraudes? *Oni.* Celo quò certo queat
Spectare visu, quid quid exuperat fidem.
Si pando fraude, fraudem compactam mea
Putabit ille fabulam: horrendum scelus;
Immane, vix credibile, perplexum, arduum.
Nullis

Nullis probatum testibus, signis, notis,
Figmenta credet Rex, & extructam dolo
Linguæ inuidentis machinam, atque astu malo,
Vt innocens Nabotus euersus ruat.
Quid? quod, vel ipsa veritas formam geret
Mendacis, eo quod ore promatur meo.
Voluetur in mea crimina Naboti scelus,
Pretiumque apertæ fraudis exitium feram.
Ant. Hoc ergo telo proditor quàm mox cadat.
Oni. Sit ille quamuis proditor, Regi tamen
Est innocens, est impotens fraudis malæ.
Vna explicandæ panditur fraudi via
„ Si fraude agentem fraude captemus pari.
„ Hæc namque pæna in perfidum iustè expetat,
„ Vt quos tetendit, primus in casses cadat.
Ant. „ Delere tabem Regiæ qua vis decet
Vel vi, vel arte; fare qua possit via
Cæcis ab vmbris extrahi in lucem dolus?
Oni. Adi Nabotum frater, & temet tege.
In Regis odia concitum, atque ira tumens
Assume pectus, questibus, probris, minis
Discerpe Regis liuidi indignos modos.
Ad Regna pronos finge conatus, Deum
Iuro; Naboti viscera in lucem trahes.
Ant. At Rex adest. *Oni*. Secede, rem meliùs loquar.



SCE-

SCENA QVARTA.

Rex. Nabotus.

Rex. SI tua, Nabote, ſemper obſequij tenax
In me, meoſque perſtitit in vſus fides,
Nunc ardua ad molimina hoc tempus vocat.
Nab. Te ſpirat vnum quidquid hic ſpirat mei,
Tua iuſſa pronus audio, & fidus ſequor.
Rex. Qua perfidus proſerpat Antigonus via
Ad ſceptra ſolymæ ſanguini inſultans meo
Submurmurauit frater; attonita modò
Aure horruiſti facinus immane, impium.
Sed horror ipſe ſceleris aduerſo ſibi
Niſu repugnat: poterat in partem ſui
Sæuire frater? tantus & amoris calor
Solui in furorem, ſolui in Eumenidum faces?
Sed quos Auernos horreat Sceptrum petens
Amens cupido? potuit in fædam ſtygem
Traxiſſe cœlum; poſſe non peius dolet,
Ad ſceptra ſi ſpes vellicet. præſtat tamen
Tentare fratris pectus, vt ſi quod fouet
Semen malignum, cauta prænoſcat fides.
„ Ludenda fraus eſt fraude, ſecreto ſcelus
„ Ardore ſerpens ſcelere conficto iuuat
„ Tradere in apertum: qui dolum vitat dolo
„ Virtute fraudes reſecat, haud fraudes ferit.
In te mea ſalus vertitur: ſolus potes
Eruere ſenſa fratris, & virus latens.
Nab. Hic tibi ſui met prodigus ſeruet cruor.

Rex. No-

Rex. Noſco Nabotum: fraudis expediam modum.
Te Proditoris agere perſonam decet,
Rebellis in me ſpiritus laruam cape;
Aſſume frontem perfidam, linguam impiam,
Os execrandum, quodque Auernalem luem
Exhalet, iras, odia, perfidiam vomat.
Fratrem per aſtum conueni, & quantum potes
Age proditorem, deuoue hoc fratri caput,
Hæc ſceptra ſponde, perque ceruices meas
Ferro parandam prædoce ad Regnum viam.
Aditus in arcem profer & cæcas fores,
Viaſque ſoli peruias Regi, & tibi
Meum ad cubile, ſibi relaxanda, & ſuis
Per te doloſus peiera, vt iunctis ſimul
Votis, & armis ſceptra rapiatis mea.
Nab. Auertat æqui rector, & veri arbiter
Auertat à me facinus; horreſco tremens,
Horreſco iuſſa, tàmque ſacrilegas nequit
Audere laruas animus; heu pectus labat,
,, Et muta refugit lingua; non patitur fides
,, Simulare fraudes, odia nec præfert amor.
Rex. Si caſus vrget, odia, perfidiam, nefas,
,, Quaſcumque formas induit conſtans amor.
,, Mentita fraudem, quando ſic fraudem cauet,
,, Fideliore fulget ornatu fides.
Nab. Me proditoris nomen, & fictam licet
Subire laruam? me ne fraternum tuo
Aptare ferrum gutturi? hortari dolos?
Tuæqe cædis poſſe mentiri fabrum?
Rex. Inane cædis nomen, & fraudis paues
Figmenta fraude vacua; quæ ſanctè, ac piè
Fides,

Fides, Amorque construant nisu pari?
Nab. „ Simulare fraudes horruit semper fides.
Rex. „ Scelus, vt caueret, sæpè mentitur fides.
Nab. „ Heu proditoris gerere personam pudet
Rex. „ Quo proditor prodatur, hãc gerere est decor
Nab. Non sim licet scelestus, at videar tamen
Rex. „ Præstat videri perfidum, ne Rex cadat.
Nab. Et polliceri dexteram ad Regis necem?
Rex. Et præcauere dexteram ad Regis necem
Nab. Horresco facinus *Rex.* Regis at cladẽ magis
Nab. Impos reluctor. *Rex.* Nostra te stimulet salus
Nab. Ad cuncta stimulor ausa, sed non ad scelus.
Rex. Quod imperare Dominus haud horret, sequi
Nec horreat minister; ad fictam necem
Mens languet, aret lingua, nec veram times?
Nostro minatur vertici, & cæcis latet
Obductus vmbris turbo; tu certa potes
Discutere nimbum luce prætendens scelus,
Et falsa cædis nomina ignauus tremis?
Nab. Veros timores incutis: turri erutum
Pauesco Oniam; liber hic nimbos dabit.
Rex. Erras. Onias turbinum signat minas,
Aperitque fraudes fratris, atque animum trucẽ.
Nab. Portenta, monstra, somnia, & spectra occinis.
Rex. „ Tamen timenda; conflagrat amoris calor?
„ Est liber ardor, est sui iuris potens,
„ Calescit, alget, vertere se in odium potest;
Nec ipse fratrem damno, sed lento gradu
Suspicio cautam tentat ad crimen viam
Quam monstrat index sceleris; hanc solus potes
Inire fido tectus obiectu doli,
Ad

Ad mea paratam damna mentitus manum.
Sic ſenſa fratris fraude pernoſces pia.
Nab. Hic ſerpit aliquid inſolens: iuſſu tuo
Aſſumo fraudem, perfidi fungar vice
Quò ſim fidelis; non vt interpres mei
Cordis ſonabit lingua ſceleratos ſonos,
Sed vt miniſtra fidei, vt obſequij tenax.

SCENA QVINTA.


Nabotus, Antigonus.

Nab. VIctoris ora veneror, & dextram oſculor
Ad ſceptra natam: vertici aſpirat tuo
Corona ſolymæ; digna Ieſſæo Duce
Floreret in te gloria: ò qualis metus
Domaret hoſtem! quanta populorum quies?
Quæ fauſtitas attolleret cælo caput?
At quis per ora liuor, & qualis dolor
Oberrat oculis? quò prior fluxit lepor?
Hæc frons, triumphi gaudia, hic vultus præit?
Ant. Ah quid triumphi nomen infelix canis?
Palmam nefaſtam, triſte victoris decus,
Spolia, triumphos, lauream abijcio, execror.
Specioſa peſtis nomina, & blandum malum.
Nab. Quis tam ſerenum nimbus infuſcat diem?
Ant. Inuidia Regis laudis impatiens meæ,
Meiſque palmis liuida in ſcenam vocat
Rurſum Thyeſtas: Ergo bellorum labor,
Ardorque vitæ prodigus tandem redit
Meam in ruinam? pecco quod palmas gero,

C Plau-

Plausúsque mereor? melior huc turpi fuga
Actus referrem, quàm triumphator pedem;
At præstat hic silere. *Nab.* Quin præstat loqui:
Antigone ruimus: stirpe cum tota cadent
Iessæa Regna; frater in solio sedet
Regnantis vmbra; vitia dant leges; fauor
Sordes, Libido, Vis, furor populos regunt.
In me serenum parcius lumen vibrat
Aristobulus, sæpius toruum iacit,
Dum recta monstro; perdita, effrænis ruit
In peius Aula, quidquid est tandem sacri,
Quidquid profani, regio seruit probro.
In te recumbit Regiæ afflictæ Salus,
Ni tu labantem fulcias, vna opprimet
Omnes Ruina, teque cum prole obteret.
Ant. Liuore fratris impetor, non se capit
Inuidia, tota fratris in stragem effluit,
Et sub triumpho subdola attollit rogum.
Si quid patrandum, callidè, & cautè, & citò
„ Totum patrandum est. Ausa frigescunt Mora,
„ Et lenta recidunt sæpè in auctoris caput.
Nabote si quid nostra te pupugit Salus,
Nunc acrius perurat, obsequium, fidem
Si quis propoſcit vsus, hæc poſcit dies.
Nab. Hos quidquid artus animat, addictum tuis
Se nutibus prosternit, & iussis vouet.
Ant. Fidem obligemus dextera, & par ambiat
Vtrumque casus, vna sors iungat duos.
Nab. Dextram, cruorem, spiritum, memet cape.
Ant. Regno, saluti publicæ, nobis, Deo
Vna est litandum victima. *Nab.* Regis nece;
„ Nulla

„ Nulla eſt medela ignauiæ, abſumi decet.
„ Et cùm maligna corripit Regem lues,
„ Vna eſt medela Regiæ, Regis cruor.
Ant. Quid ergo, aperto Marte, an occulto dolo
Putas agendum ſatiùs? *Nab.* Occultè reor;
„ Aperta vis vi frangitur, vincit latens;
Ant. Qua Reris arte poſſe nos voto frui?
Nab. Clauſtris recluſis, militum fultus globo
Intrabis arcem me Duce, hinc tecta via
Adi cubile Regium, & monſtrum ferum
Cauea ſub ipſa Patriæ, & Regno immola,
Aderit Onias frater, & proles tua
Aderit Manaſſes. Sceptra Ieſſææ domus
Plaudente mundo regia attolles manu.
Purgabis Aulam. Viperas, fucos, ſtriges
Mittes ad Orcum; iura, pietatem, fidem
Dauidis hæres luce perfundes noua.
Ant. Te digna promis auſa, nec ſegnis ſequar.
Hoc ſi Nabote ſoſpitet votum Deus,
Tu lora ſolymæ, ſceptra tu mecum geres,
Vterque partes expleat cautus ſuas.




Bellona curru, & Gregorianis Draconibus vecta præmia pro prima Classe deportabat, ijsque distributis à Bellona Comitibus Pyrrhicum prælium saltu, & ensium collisione celebrabatur.


Bell. GRegorianis vecta Draconibus,
Bellona gentis Sfortiæ,
Et sospes, & patrona
Adsum Sforziadæ præmia deferens
Me Sforziorum gloriæ,
Me Palladis Panegyri
Seruire decet famulante choro

Lab. & Sol. Hos prima legit classis ephebos
Age iam tanto digna theatro
Porrige dextram primana cohors

Bell. Plaudite vos etiam Comites ad consona rhytmo
Præmia, concordes gladios, plantasque mouentes.



ACTVS



ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

Rex, Onias, Nabotus.

Rex. ABsiste, cunctos arceas custos procul,
Præter Nabotũ. Frater accedas comes.
On. Emersa ab vmbris veritas tollet caput,
Et explicabit aureum frontis iubar
„ Potest tenebris opprimi, extingui haud potest.
Sed hinc Nabotum conspicor; frontis tenor
Infausta præfert; turbines horror notat.
Rex. Effare fratris scelera, quæ vultu geris.
Nab. Horresco; vellem totus in primum Chaos
Prius abijsse, quàm nefandas auribus
Hausisse voces, me ne sacrilegos sonos
Mutire posse? refuga per fauces retro
Se vox reflectit, tota in horrorem fluit.
Rex. „ Fidelis horror crimen, haud voces timet.
Expone fratrem, voce sic fraudem domas.
Nab. Tua veneratus iussa ad Antigonum aduolo.
Ad tua paratam damna polliceor manum.
Errabat illi turbido in vultu furor

Liuorque, & atra lumina ardebant lue.
Facundus in tua probra truculentas iacit
In te querelas, perfidum, ignauum, sua
Turpe inuidentem decora, te frendens vocat.
Indulsi & ipse questibus, pestem meram
Ex ore vomui, quo medullis abditam
Pestem cierem fratris. Exciui. Heu pudor!
In tua scelestas funera (horresco miser)
Dextras vouemus; spondeo tempus, locum,
Aditusque ad atrox peruios furtim nefas.
Rex. Hæc frater? has exarsit in flammas amor?
Meum helluari sanguinem vultur cupit?
Heu quem cerastam nutrij? quantam sinu
Foui Megæram? semper vt quiddam mei
Respexi, amaui; quidquid in fratrem queat
Amor flagrare, clara in Antigonum face
Semper flagrauit. Iura num solus dedi?
Dedit supra me frater, & totum parat
Calcare solium cœde respersum mea?
Heu quale rerum iura peruasit nefas?
On. „ Cum degener natura peruertit vices,
„ Hæc monstra gignit, odia, perniciem, neces
„ Refert amori, sola quo sceptrum gerat
„ Fratres, parentes, patriam in præceps agat.
Nab. „ Turget rebelli spiritu: & quando semel
„ Corrumpitur amor, pessimam in tabem migrat.
Rex. Abominande frater! heu fratrem voco
Orci colubrum? scelere concretum caput,
Fraudum vorago sanguinem fratris sitis?
Ferrumque in hæc præcordia exacuis latro?
Meum vt cadauer fiat ad solium gradus?

Hæc

Hæc patior, & non ardeo? & ſpirans adhuc
Fratris cruorem pænè iam ſugit Draco?
Cadat, ſolumque mordeat; noſter quoque
Scit proditus amor feruere odiorum rogo,
Pereat; Erymnes ſaturet impurus cruor
Odiumque Cæli pereat, & Mundi pudor.
Templum verendum teſtor, & legis ſacra,
Non niſi cadente ſol hic Antigono occidet.

SCENA SECVNDA.

Antigonus, Hircanus, Manaſſes, Ioab.

Ant. HEu frater, heu quo volueris fato miſer?
Fidis Naboto? peſtilens hauris malum,
Viruſque per tua viſcera excurrens amas.
Adhuc per aures triſtis Harpiæ ſtrepit
Murmur neſandum Regis excidium truci
Spirantis ore. Proh ſcelus! pandit fores
Cæcas in arcem, perquè ſecretas vias
Ad Regium conclaue ſe ſpondet ducem,
Et execrandam dextram ad vulnus vouet.
Hirc. Hic vnus omnem fraudis excedit modum,
Ad vota Regis flectit ingenium, manum,
Protheuſque verſipellis in formas abit,
Et ſenſa Regi conſona, & Regis quaſi
Reciprocare ſpiritum affectat Sinon.
Man. „ Incredulus reiectat vt falſas amor
„ Fraudes amici, vertit in laudes Probra
Anti. Sed quid querelis inſequor vanis ſcelus?
„ Regi Nabotum detegam. Serpens malum

 „ Vires

„ Vires latendo contrahit, languet patens.
Ma. Ah parce, nati audaciæ ignosce, o pater,
Reflecte gressus: officit hic ardor sibi,
Et quam paras extinguere accendes facem:
Hæc in Naboto crimina, inuidiæ dolos
Rex credet, & figmenta pellacis stygis.
Io. Tàm fidi Achatis, gratia, obsequium, fides
„ Criminibus aures obstruunt, formas amor
„ Sontes refellit, semper insontes amat.
Ant. Fratri negabit frater, & pro se fidem?
Ma. Non fraude agentem, fraude te captũ arguet.
Ant. Audita referam: *Ma.* Nempe laruatũ scelus.
Ant. Certè sibi cauebit. *Ma.* In cladem tuam.
Ant. Clades quis inferet? *Ma.* Ipse, quẽ prodis reũ,
Nabotus. *A.* opprimetur *Ma.* an prior opprimet?
Ant. In fraude iam deprensus? *Ma.* Hinc odio furẽs
In te reuoluet facinus *Ant.* In me non cadet
Suspicio fraudis *Ma.* Potius hæc in te cadet,
Quàm vel Nabotum tangat, vbi fraudes suas
Per te retectas sentiet, quales ferox
Succendet iras? odia quas furias agent?
Io. Sensus, medullas, viscera, & totum occupat
Regem scelestus; omnium ignarus potest
Excidere, si præsciscat, excidium dabit.
Ant. Hæc ergo vindex eluat sordes manus.
Hirc. Iustus furor te stimulat, at præceps nimis.
Ant. Præcipitat ille funera, & somnos traham?
Hirc. At Regis in te grauior exurget furor.
Ant. Quod aspidem discerpserim è fratris sinu
Hirc. Quod carius discerpseris vita caput.
Ant. Horrenda noscet crimina, atque extra metum

Hirc. Si-

Hirc. Simulata credet crimina & vanos metus
An. Fratrẽ ne damnet? *Hir.* Nẽpe quod fratre inſcio
Regni reuellat cardinem. *Ant.* Inſtabat ſcelus.
Hirc: Cur nõ apertũ fratri? *Ant.* Vt abrumpá moras,
Hirc, Vt innocentem cauſa & indicta opprimas.
At ecce Onias, inde conſilium cape.

SCENA TERTIA.

Onias, Antigonus.

Ant. ADhuc ſilendum? *On.* Regis alloquiũ fuge.
Ant. Nobis Nabotus patuit *On.* At nõ dú ſatis
„ Regi patebit: reſpuit noxas amor,
„ Fidemque tollit gratia; in cælum priùs
Frater putabit poſſe detrudi nefas
Ant. Quid ergo noſtram liber in ſtragem furet
Occultus hoſtis? *On.* Allice in caſſes feram,
Vt in tenaces inſerat nexus caput.
Inditia aperta, certa meditatæ necis,
Crimenque luce clarius fratri reor
Eſſe ingerenda, quæ nec obſiſtens amor,
Nec obſtinata gratia in dubium trahant,
Sed victa cedant: cùm renitentem fidem
Auerſus animus cogitur veris notis,
Signiſque per vim ſubdere, ò quantum labat!
Ant. Quænam Nabotus fraudis inditia exprimet?
On. Quæ nullus vmbra turbet incerta vapor.
Ant. Sagacis animi prompta conſilia explica,
Oni. „ Fraus fraude capitur, ſcelere vincitur ſcelus.
Adi Nabotum rurſus, & rurſus cape

Fron-

Frontem priorem; lingua fraternam necem
Trucius recantet, ſed repentinam ſimul
Prætexe cauſam, caſtra quòd ruptis moris
Tibi ſint petenda citius; hinc ſecum amplius
Haud poſſe certos figere facinori modos,
„ Et grandia error ſæpè deludit leuis,
„ Magnamquè paruus machinam ſiſtit lapis.
Ergo vt facinori certius figas pedem,
Depoſce claues arcis, & totam rei
Summam gerendæ breuiter occultis pete
Ab eo notatam litteris: Atque hæc tuo
Furtim Manaſſi tradat, vt cunctos latens
Ad te citatis deferat proles equis.

Ant. Catus timebit litteras teſtes doli.
„ Non ſeruat aura perfidæ linguæ ſonos,
„ At ſeruat index Pagina: & forſan meam
Hinc arguet ſibi perfidam linguam improbus.

Oni. Tibi iam profundæ mentis expandit ſinum,
Et tam nefanda promit, & ſe ſe in tuam
Laxis habenis non dabit totum fidem?
Sceptra hic anhelat ebrius; quidquid putet
Fauere votis, impetu effræni dabit.
Quòd ſi recuſet credere papyro dolum,
Quid obfuit tentaſſe? tendemus plagas
Fallaciores belluæ; quòd ſi annuat,
Ipſæ loquentur litteræ, & claues ſcelus.

Ant. In tua reuoluor monita, nec tempus teram.



SCE.

SCENA QVARTA.

Onias, Rubenus.

Rub. FAusto, an sinistro pellitur vento ratis?
Oni. Vltro in Charybdim perdito cursu ruit.
Dolo Nabotum nectere ignauus putat,
Sibique texit compedes. Natum, ac patrem
Abripiet idem turbo; sed Regem simul
Rapiet maligno vortice Antigoni cruor;
Regnabimus Rubene. Sed Princeps adest.

SCENA QVINTA.

Rex. Nabotus. Onias.

Rex. PEllor, repellor, distrahor. Fratris dolus
Hinc stimulat irā vindicē, hinc palma ferox,
Ducisque studijs militum addictus fauor
Iram coercent; timeo ne fratris cruor
Odia, furores, arma populorum ciat.
On. Times timenda frater; oppressum, obrutum
Liuore nostro miles Antigonum fremet,
Sed auctor ipse fraudis abstergit metum,
Dum se patentis criminis prodit reum.
Rex. Rē pande Frater, *On.* Regredi ad castra ocius;
Frater repente cogitur, sed ne scelus
Hinc protrahatur, arcis arcanam petet
Clauim à Naboto, tempori vt fraudem expleat
Quin litteris concredita Naboti manu

Modum

Modum, ordinemque ſceleris,& ſummam rei
Efflagitabit, antequam phæbus cadat,
Hæc ad parentem natus excipiens feret.

Nab. Quis tam nocenti peſte Cocytus fluat?

On. Hæc ſigna crimen impium mox per viam
Deprenſa prodent: publica ſenatus fides
Oculata ſontem publicam in lucem extrahet,
Populique iuſſu proditor pænas luet.

Nab. At me innocentem fraudis alienæ color
Fædabit, & Chyrographo aſſertum meo,
Arciſque claue prodita inuoluet ſcelus.
En ſanguis hic, hoc pectus, hic vitæ calor
Tua ſunt, reſolue, diſſipa, abſume, obtere.
At ſordis expers, criminis purus, fide
Intaminata redigar ad primum nihil.
Simulaſſe fraudem voce tua iuſſit ſalus,
„ Sed fraus in auras ſoluitur, dùm vox perit,
„ Commiſſa ſcripto perſtat, & teſtes ſui
„ Semper loquaces ſeruat auctoris notas

Rex. Ecquis miniſtri vertat in probrum fidem?
Regnum, cruorem, memet, abſumam priùs
Quàm tua, Nabote, obſequia fædari ſinam.
Præibo fraudem: ſceleris horrendas notas
Hac ipſe ſcribam dextera; & quantum queant
Imperia Regum ſtringere, obſtringam tuam
Fidem, caputque, noſtra, vt expreſſum manu
Fraudis tenorem, dextera exſcribas tua,
Tuique ſignes annuli impreſſa nota.

On. Secede Rex. Antigonus huc greſſum mouet;

Rex. Verſa hic Nabote machinam, eſt audax amor.

SCE-

SCENA SEXTA.

Antigonus, Nabotus. Manass.

Ant. TE mihi ſecundus obuiam hic offert Deus.
Me caſtra reuocant; miles haud patitur moram,
Et perfidas hic horreo fratris manus
Ne me repente callidus inermem opprimat.
Præuertar ipſe facinus: eſt extra ſcelus
Scelera in ſceleſtum vertere, & Carum polo
Regnum leuare tabe dominantis ſtygis.
Nab. Pectus paratum porrigo, vltricem manum
Regni ad leuamen, & tuæ columen domus.
Ant. At ne qua vitiet lenta molimen mora,
Tu qui propinquus Regiæ obſeruas vices
Momenta vocis conſona expendens cape,
Fidæque crede paginæ arcanis Notis.
Illam tuo clauſam annulo, & claues ſimul
Arcis Manaſſi trade, qui vectus Noto
Ad me lacerna tectus ignota gerat.
Nab. Heu ſi malignam pagina in lucem effluat!
Ant. Non illa plures, quàm tuos, nati, & meos.
Subibit oculos. & tuum, & nati, & meum
Damnaret illa prodita in lucem caput.
Me tempus angit, aduolo. *Nab* Felix abi,
Auibuſque fauſtis; quidquid expoſcis, dabo.
Ma. Te caſtra poſcunt genitor, & geminant preces.
Par eſt adire. *Ant.* Pergo. Tu patris vicem
Subi; Naboti iuſſa feſtinus cape.
Nab. Abi,

Nab. Abi, Manasses paginam, & claues feret.

SCENA SEPTIMA.

Antigonus, Onias.

Oni. QVò cardo sceleris vertitur? *Ant.* Regis necem
Amens anhelat, proditor, quales sibi
Profusa Regum gratia heu pestes creat!
On. „ Hæc monstra Regum inertia, & languor parit
„ Et cum libido iura dat, regnat nefas.
„ Si sceptra famulo seruiant, aulæ ruit
„ Inuersus ordo, vis cadit, virtus labat,
„ Et fulta vitijs probra sustollunt caput.
Ant. Fratrem ciebo, regis excutiam grauem
Acer veternum; sponse ni regnum sibi
Restituat vltor fraudis, & iuris sequax,
Arcana templi testor, hac vltor manu
Delebo tabem Regiæ, ad monstri necem
Hoc voueo ferrum, Rex inardescat, furat,
Ruat per omne facinus, abradam luem
Quicumque tandem me furor cladis petat.
Oni. Generosa fratris sensa, virtutem, indolem
Recti tenacem miror; ò mentem, ò manum
Sceptri capaces! perge, quò virtus vocat.
Tuus ego liber, vinctus, hanc vitam traham.



SCE-

SCENA OCTAVA.

Antigonus, Senatus.

Sen. SOlymæ Senatus inclitum palmis ducem
Priuatus hic adorat, & pronus colit,
Ant. Agnoſco amantis patriæ obſequia, & fidem
Pareſque amori reddam, & obſequijs vices.
At quando vos huc ſortis aduexit fauor
Enorme crimen, quodquè vix animus capit
Veſtrum ad Senatum deferam; at conſtans priùs
Silentium ſpondete, quàm claras notas
Teſtes nefandi ſceleris adducam, Patres.
Sen. Aures patentes, vocis occluſas vias
Vouemus omnes; audiat votum Deus
Ant. Nabotus aulæ rector, & præſes fori,
Regiſque mens, & dextera in Regis caput
Exacuit enſem proditor: ad atrox ſcelus
Me ſtimulat amens, & mihi fratris nece
Syrma impiatum ſpondet, atque offert manum
Sen. Incredulus rebellat, & retro labat
Proteruus animus, vocis at pondus tuæ
Ad ſe reflectit penitus inuitam fidem.
Ant. Dicto fidem recuſo; nec tantum arrogo
Niſi clara nulli obnoxia errori, aut dolo
Inditia rem loquentia adducam breui
Scriptas Naboti dextera ad cædem notas,
Arciſque claues traditas, quæ mox Patres,
Spectanda veſtræ Curiæ natus dabit.
Tunc ante Regis ora diſpanſis dolis

Veſtrum

Vestrum tribunal calculum iustum feret.

SCENA NONA.

Rex, Manass. Hircanus, Onias.

Rex. AH perduellis patriæ, Regis, Dei,
Omnisque iuris proditor nostram foues
Sub veste cædem? prome ferales notas.
Spectet pudore decolor solis nitor
Opprobria nostri sanguinis. Cuinam geris,
Hæc fraudis arma perfide ad Regis necem?
Ma. Fraudes Naboti vindicem ad patrem gero.
Rex. Meam ad ruinam peruios vsus geris,
Meæque stragis ordinem, seriem, modum
Præsignat isthæc pagina, hæc iussu meo
Vt vos inescent, fida rescripsit manus.
Iam fraus tenetur, crimen in aperto flagrat.
Fraudum vorago, gurges, & pœdor stygis,
Infame terræ pondus, & mundi pudor
Has machinas in patrui, in Regis caput
Versas nefande? noster has artes amor,
Hos te furores docuit, hæc odia, has neces?
Meum hunc cruorem, perfide calentem tui
Amore semper ore Tantaleo sitis?
Et quò vores mea regna, me primum voras?
Ma. Te falsa veri forma, te fraudis color
Deludit, & nos opprimit; Quidquid vides,
Artes amoris, fidei, & obsequij vides
Quæ tibi Nabotum detegant. Testor Dei
Lumen fidele, fallere, & falli inscium,

Claues

Claues, notasquè fraudis intextæ indices
Petijsse patrem, sceleris vt aperti reum
Tibi, Rex, Nabotum proderet: nam quod nefas
Naboto inustum frangeret amores tuos,
Ni Sole clarius ardeat? certo nisi
Horrore visum pungat, & tactu manum?
Rex. Orci vapores impio eructas sinu,
Spargisquè noctem clara qua fulget dies,
Detecta nullus ausa fucabit color;
Speras dolosa posse nos larua capi!
Manu fateris crimen, & lingua negas?
Et cui cruorem sugere per ictus nequis,
Differs paratam blandus impostor necem?
Voluentur in vos crimina. Manassis cruor
Mei cruoris Saturet Antigono sitim.
Confodite Monstrum. spiritum indignum expuat
Vultur cruentus, prolis abscissum caput
Claues, notasq. meliùs ad patrem geret.
Ma. Insons, libensque patrui iussu occidam.
Rex. Nocens, & ipso in scelere deprensus cades.
Ma. Laruata scelere sancta damnatur fides.
Rex. Tam sancta fædas nomina, & non dum cadis?
Ma. Pietatis almæ victima occumbam Deo.
Rex. Impura fraudis victima occumbes stygi.
Ma. Non mea me premit fraus, mea pietas leuat.
Rex. Tua nempe pietas, Patruum, ac Regem fodit.
Ma. Colit, veretur. *Rex.* Paginæ & clauis dolo.
Ma. Quas dat Nabotus *Rex.* quas gerit natus Patri.
Ma. Fraudem vt reuincat *Rex.* Potiùs vt fraudem expleat.
Ma. Heu Rex amorem fratris in fraudem trahis.


Rex. Hæc probra torpens audio? hoc ferro viam
Pandam cruori, perfidæ voci obstruam.
Ma. Sanctè profusus loquitur æternùm cruor.
Hir. Compesce ferrum, Genitor, & plenam tui
Mentem resume. Sit licet iustus dolor,
Sit æqua vindex ira, sit certæ reus
Fraudis Manasses, debitam sontis moram
,, Ius omne poscit, primus obtutus nequit
,, Subire causæ viscera, internos sinus,
,, Verasque latebras sola scrutatur mora.
Vitam Nepotis recole flagrantem tui
Amore semper. Patruum, an potius Patrem?
Te semper ille coluit; an poteris semel
Notasse Patri, quàm tibi hærentem magis?
Et quò repente totus effluxit prior
Tuus Manasses? vnde profluxit nouus,
Scelestus, atrox, impius, Auerno tumens?
Si scelera clamant pagina, & clauis, scelus
Negant Manassis indoles, virtus, amor.
Vtrinque voces excipe, & prudens fides
Vtrinque nutet, cautior donec mora
Abstrusa veri pondera vtrinque eruens,
Aut innocentem soluat, aut damnet reum.
Tandem obsecranti supplicis nati Parens,
Concede amori, carcer vt clausum reum
Aut ad securim seruet, aut reddat sibi.
Rex. Frænemus iras. Ius, amor, nati preces
Moras merentur. Intimo turris sinu
Conclude tutò Frater, & serua reum.

Gloria

Gloria cum Labore, ac Solertia Dryadas deducebat cum præmijs pro Classe Humanitatis, post quorum distributionem, euocati à Nymphis sex Leones ad rythmum ferino more saltabant.

Gl. HVc ego Syluarũ Dryadas, dominasq; ferarũ
Exciui ad nostræ Palladis obsequium
Lab. Huc agite ò Dryades, calathis deferte decoris
Præmia Sforziadæ quæ munificentia donat.
Gl. At vos egregias quos format Pallas ad artes
Humanitatis nomine nobiles
Surgite fælices ad præmia tendite dextras.
Vos quoque ò Nymphæ nemoris potentes
Huc Sforziorum stemmate nobiles
Euocate Leones
Ad sonum doctos agitare saltus.





ACTVS QVARTVS,

SCENA PRIMA.

Rubenus, Onias.

Rub. ERgo Manassem liberum in lucē extrahes,
Vt Regis in te rabidus erumpat furor?
Moliris audax facinus, & præceps nimis;
Plenamque turbis aleam extremam iacis.
On. Labatur æther, astra præcipitent, ruat
Si quid per astra regnat, vt tanta opprimat
Ruina fratres; quæro violentum malum,
„ Præceps, & atrox; fulmen aut nunquam ferit,
„ Aut de repente: contrahit cunctas simul
„ Vires nocendi quod repentinum nocet.
Regis furores asperat liber nepos?
Exasperet; procella in Antigonum cadet.
Rub. In te Manassis vincla laxantem cadet.
On. Diffracta per vim mentiar fratris manu:
Turrim occupatam turbine armorum querar,
Euersa regni iura, fas omne obrutum
Auso rebelli, Regis imperia, & minas
Delusa, conculcata vesanis modis,

Rup-

Ruptisque claustris erutum è vinclis reum:
Et hæc, & his peiora in Antigoni caput
Oestro citatus congeram; Eumenidum faces
Subdam furori fratris, & totam stygem.
Rub. Se fraude captum sentiet: clam non strepit
Mars, nec per Vrbem tacita grassatur phalanx,
Fraus ipsa se se reteget; & Regis furor
Delusus heù quæ fulmina, & quantus dabit?
Oni. „ Priùs occupanti Principis prona est fides,
„ Et concitatus lenta non patitur furor,
„ Præceps & impos fulmina, & strages vibrat.
Rub. Quid si Manasses libero Cælo fruens
A te solutum sponte se Regi canat,
Non patris armis? vincula heù nectis tibi.
Oni. Necto coronas, ille vix liber Patrem,
Non Regis iras, nec suas clades petet.
Sed hic adest Senatus; ad turrim aduolo.

SCENA SECVNDA.

Senatores.

1. Sen. INter salebras voluimur. Regis fauor
Causam Naboti fulciet. Ius, & fides
Poscunt seueros iudices: vortex rapax
Nos hinc, & inde sorbet: aut Rex, aut fides
Lædetur in Naboto, & vtrumque horreo,
Sed integrum ius perstet, aut nostram trahat
Secum ruinam, iura si vincat, fauor.
Secundus. Adhuc latèbris abditum crimen latet;
Non dum Naboti syngrapham, & testes doli

Claues tenemus arcis: Antigoni penes
Vocem susurrus sceleris arcanus stetit.
Primus. Cura est Manassis, indices fraudis notas,
Arcisque claues à Naboto creditas
Nostrum ad Senatum sistere: at forsan sibi
Cauens Nabotus abnuit tantum nefas
Scripto loquaci fidere, horremus magis
Re prosequi, quàm mente moliri scelus.
Secundus. Ergo Manasses præferet causæ facem.

SCENA TERTIA.

Manasses, Hircanus, Ioabus,

Ma. ADire patrem præstat? & eandem sequi
Cum patre sortē? vincla qui soluit iubet,
Vrgetque Onias. *Ioab.* Conflagrat Regis furor,
Et sub doloso cinere sopitus viget
Ma. Vix fulminatam Rege fremebundo necem
Mutare potui carcere, & vinclis modo,
Et peius iras Regis occursu meo
Iam liber in mea damna violentas agam?
Hir. Regem, Patremue adire nunc tempus vetat.
Latere præstat, donec optatum iubar
Affundat alma veritas. Regis furor
Nondum resedit; vortices cæcos agit.
Si te parenti redditum è turris cauo
Noscat; paratum credat excidium sibi.
Animoque fixa semper hæc stabit fides.
Tibi fauebat carcer, & sensim patris
Mulcebat iras, liber è vinclis nouo

Hor-

Horrore refricas credulos Regis metus.
Ma. Soluor coactus: effero expulsus pedem
Instante Onia; vincla, qui peccat, timet;
Insons amat. suique custodes putat
Hir. Non frustra Onias tam repentino impetu
Tua vincla soluit. Aliquid hic ardor coquit.
Veteranus omnes artifex fraudes tenet.
Num te repentè liberat, vt in se trahat
Regnantis iram? Rabida proculcet feri
Edicta Regis, & suam cladem struat.
„ Vel tibi nocentem? nemo sibi gratis nocet,
Nec ille quidquam temerè, nec gratis mouet.
Prænosce Oniam tempori, & Oniam caue.
Ma. Certò est cauendus, quodque mihi pectus noua
Infuscat vmbra, cerno mutatas vices:
Iam Rex Oniæ fidit, & nuper meis
Præfecit vnum vinculis, quem vix modò
Nostris subactus precibus ex imo specu
Eduxit, ægrè lucis indulgens diem,
Nequas, vel vna consuat technas die;
Ioab. At nunc fidelem rebus in summis sibi
Iungit ministrum, teque sub Oniæ fide
Regno rebellem creditum tutus locat,
„ Non hæc cohærent; est sui semper tenax
„ Formido fraudis, facile nec cedit loco
„ Nisi magna rerum pondera omninò opprimant.
Hir Secede, frater, publicam lucem caue.



SCENA QVARTA.

Rex. Onias.

Oni. DIſtringe, Frater, amputa, auelle hoc caput
Nolens, volenſq; ſemper, ac æquè nocens.
Horreſce facinus, & meam, vel ſit nocens,
Vel innocens, aut opprime, aut damna fidem;
Et hoc furorem ſanguine extingue ocyùs.
Rex. Animos reſume, ſurge, & horrorem excute,
„ Aduerſa Regi promere fidelem decet.
On. Liber Manaſſes vincla deludit tua.
Rex. Liber Manaſſes? proh ſcelus! quænam poteſt
Per arcta turris clauſtra laxari via?
Oni. Quam nempè rapidus laxat armorum furor.
Rex. Appetimur armis? & rebellanti manu
Franguntur arces? iura regnantum impio
Violantur auſo? quod ſcelus regnum occupat?
Diuinat animus, fare, quis tantum audeat?
On. Antigonus *Rex.* Heù nō vana præſenſit metus.
Oni. Qualis leæna prole ſurrepta furens
In ſepta turris impetu immani ruit;
Pulſat, reuellit caſtra, diffringit fores,
Quaſſatque poſtes, obuium quidquid ſuo
Obſtat furori, ſternit, allidit, premit,
Turriſque cunctos permeat victor ſinus:
Vinclis Manaſſem liberum ſecum rapit
In caſtra, diris deuouens Regis caput.
Fraterni amoris æſtus his tandem poteſt
Feruere flammis? Hiccine eſt fidei nitor?

Hic

Hic fratris ardor, & tui plenus cruor?

Rex. Dolosa Regum stemmata, infidum decus,
Illecebra fraudis purpura, & cladis ferax
Sceptri potestas siccine afflatu malo
Fratrem in cerastam vertitis? partem mei
Mihi met rebellem sentio. Regnet modò
Dextram sinistra abscindet, atque oculum eruet
Oculus, pedem pes vellet, vt solus regat.

Oni. I nunc, Oniam Regiæ pestem caue,
Mortemque longam trahere viuentem iube
Clausum perennis noctis horrore, ac situ.
Tuos amores, Teque in Antigono loca:
Hic regni habenas tractet, hic solus regat
Ad bella martem, pronus Antigono ferat
Tributa mundus, supplices tendat manus,
Vnique voueat sanguinem, vires, opes.

Rex. Piget, pudetque me mei, at serò nimis:
Sed vitio non sera delebit probrum;
Vincam Thyestas; ira quid vindex furat,
Docebo fratres. Helluo cruoris mei
Epulas amori prodito dignas dabit.

Oni. Sed quid moramur? facta, non questus iuuant.
Tonat procella; pænè sacrilego strepunt
Pulsata flatu classica; vndantes vias
Specto furenti milite, & regni, & tui
Auido cruoris; dum potes, cædem occupa;
Fratris Mucroni fratris occurrat Mucro.

Rex. I, castra, frater, concito cursu pete;
Et perduellem, qua dolo, qua vi opprime.

Oni. Tutatur anguem roboris nostri fauor:
Vis arma suscitabit in nostrum caput;

„ Cum

„ Cùm dextra languet impos, accedat dolus
Rex. Fraus ergo tendat retia, furores meos
Dissimula; amores finge; me nolle amplius
Proferre fratris ore, & amplexu frui.
Proin vel ille ad regiam occultè aduolet,
Vel ipse furtim castra nocturnus petam.
On. Hærebit hamo præda, sed ne quid patrem
Turbent Manassis vincla, expertem doli
Credi Manassem mentiar; totum scelus
Cadere in Nabotum, teque procliuis nimis
Pudere fidei, factaque infecta experi;
Astuque blando penitùs abradem metus.

SCENA QVINTA.

Rex, Hircanus, Manasses, Ioabus.

Rex. VEnena, tabem, pestilens quidquid nocet,
Heù nate, totus fratris heù spumat cruor
Antigonus in nos perfidas armat manus,
Per vim Manassem turris ex imo extrahit.
Vterque iam per castra violentus furit,
Vt nos vterque cæde properata opprimat.
Hir. Omitte questus genitor, & feda metus:
Isthæc Onias sompnia impostor canit.
Rex. Visa, & peracta certus inspector refert.
Hir. Nec visa, nec peracta; sed nugas meras.
Rex. Aut ludis, aut deluderis. *Hir*. Neutrum Pater,
Ipse ipse Onias turris expandit fores,
Ipse, & Manassem soluit innitum, & tua
Vincla reuerentem. *Rex*. Vincla ridentem mea

Per

Per vim, per arma rapuit Antigonus reum.
Hir. Narras Oniæ fabulam; explora, aduoca
Testes fideles: vis, & armorum fragor
Latere nescit; fida custodum cohors
Turrisque præses facta, & infecta explicent.
Quin & Manasses hic adest; pronus tuos
Pedes fatigat, & tuam implorat fidem.
Rex. Adest Manasses? *Hir.* Concita huc frater gradū;
Ma. Tua vincla supplex oro; subiectum tuis
Me sterno plantis, obtere, & si sum nocens,
Vibra secures; totus in vulnus rue.
Rex. Mea vincla quæ vis abscidit? *Ma.* Oniæ manus;
Rex. An vis paterna? *Ma.* Nescius rerum pater
Nec potuit hoc, nec voluit; *Rex.* Et potuit latro,
Et voluit, & peregit: *Ma.* Ignarus, procul
Absens peregit? *Rex.* Adfuit; sed nunc abest
Moturus in me castra: *Ma.* Dum Regis pedes
Proles adorat, prælia intentat pater?
Rex. Sopire Regem quæritis: *Ma.* Onias satis
Fugat soporem. *Rex.* Non tamen vestras satis
Artes cauemus. *Ma.* Nullus hic arti locus,
Nullusque fraudi est aditus: oculatos voca
Testes, Cohortem, septaque turris tenet,
Voca ministros, Præsides, vinctos, reos,
Nosces Oniæ me reclamantem manu
Vinclis solutum, simul & impulsum, vt patrem
Præceps adirem, teque vitarem latens,
Sed Iudicis non vitat aspectum innocens.
Rex. Lustrabo turris intima, & vera extraham
Hir. Heù quanta Onias implicat! *Ma.* Sceptrū cupit.
Hir. Te soluit vltrò, te simul fingit patris

Armis ſolutum, fingit in noſtrum caput
Et te, & parentem ſtringere, & ferrum, & faces
Ma. Hæc nempe merui, cùm per extremas preces
A Rege Oniæ liberam extorſi diem
,, Quo me, & parentem perderet. *Ioab.* Semper ſibi
,, Vitia cohærent; qui ſemel fraudes amat,
,, Odiſſe nunquam poterit; abſciſſus licet
,, Regerminat malignus à plantis vigor,
Rex. Deludimur, decipimur; & nondum probè
Calles Oniam, credule, ignaue, impotens ?
Cur facilis aurem precibus infauſtis dedi,
Quando profundo educere hoc monſtrum ſpecu
Ambo obſecraſtis ? ſtulta facilitas mea
Me nunc, meoſque vexat; haud peccat minor,
Sed peccat ætas grandior longo trahens
Documenta ab vſu, lentior peccat vigor.
Hir. Nos ſtulta pietas faſcino illexit pio,
Nempè vt triumphum luce cumularet noua
Luci renatus patruus; infandas preces
Deteſtor, & nos damno. *Ma.* Stultitiæ luo
Pænas, & amplè mereor. *Hir.* At ſi quid licet
Hinc ſuſpicari, perfidus Onias quoque
Ficta in Nabotum crimina Antigono tulit,
Et vt probaret vera ne, an falſa impulit.
Et hinc malorum prima profluxit lues



SCE.

SCENA SEXTA.

Aduenit Senatus, Nabotus.



Sen. AVguste, tua nos cogit, & regni salus,
Et qua tenemur publica in leges fide
In ius vocare perfidum Regi caput.
Rex. Studia Senatus, cura, & integritas placet
Sen. In ius rebellem, si tamen per te licet,
Voco Nabotum: *Rex.* Laudo, sistatur reus.
Quis, & quod affert crimē? *Sen.* Antigonus fremēs
Regis patrandæ cædis accusat reum.
Rex. Monstri quid hinc exurgit? Antigonus reum
Desert Nabotum? *Sen.* Criminis testes quoque
Spondet, Naboti crimen expressum manu,
Arcisque claues impiam ad cædem datas.
Rex. En litteras, clauesque, quas patris vice
Tulit Manasses, forsan innocuè reus.
Sed iam Nabotus hic adest; in ius voca.
Sen. Nabote nostin Syngraphā? *Nab.* Nosco meā.
Sen. Quid hæc recondit? *Na.* Horridū, infandū, nefas.
Nempe inferendæ Regiæ cædis modum.
Sen. Cui destinabas paginam? *Nab.* Antigono dedi
Sed per Manassem; clauibus & vna datis
Regalis arcis liberam exhibui viam.
Sen. Ergo rebellem voce te prodis tua,
Nab. Imò obsequentem Regis imperijs probo.
Sen. Fassus nefandum crimen? *Nab.* Et fassus libens.
Regale signum nostin, & Regis manu
Scriptam papyrum? *Sen.* Certus agnosco, & colo,
Nab. Le-

Nab. Lege, ac verere, *Rex.* Siste; rem paucis loquar.
Vinclis Onias liber, exanguis, tremens
Mea meditari funera Antigonum refert,
Vrgetque trepidus; reppuli vt fictos metus;
Sed instat ille posse me certum manu
Palpare crimen, nempè si Antigonus dolum
Posset Naboto credere, & iunctis simul
Dextris parare facinus: & faciles modò
Aditus Nabotus sternat, arcana omnia
Euoluet ipsi Antigonus illectus dolo.
Anceps ad hæc pependit, & nutans fides:
Induere vultum perfidum, & fictum scelus
Cogo Nabotum, litteræ id nostræ iubent.
At quod reuulsit pectus; & memet mihi
Iam pænè rapuit; vota in Antigono impia
Dictis Naboti, consonant, claues, opem
Modò à Naboto petijt ad nostram necem.
Sed timeo Oniam, potuit & fratrem quoque
Fraude occupasse; varius huc illuc trahor.
Sen. Deceptus extra crimen Antigonus labat;
Nam si latenter arduum ornabat scelus,
Si iam Nabotum traxerat, nostrum tremens
Cur ad Senatum detulit? Cur tàm celer
Nos feruidè obtestatur, vt carum tibi
In ius vocemus impiæ noxæ fabrum?
,, Dolus tenebras quærit, & lucem fugit;
,, Horretque nomen Iudicis culpæ reus.
,, Defferre scelera, & struere, nec demens potest.
Rex. Laudo Senatum. Castra festino pete,
Hircane, cursu; Regis imperia hæc refer:
Vterque frater illicò abrumpens moram,

Priua-

Priuatus, atque inermis ad Regem volet.
Tu præses ore militem blando foue
Hirc. Volabo; iuſſis impiger fungar patris.
Rex. Nondum pericla fregimus: quid ſi dolo
Rececto inermem Regiam Antigonus petat?
Puto innocentem, non tamen clarè patet.
Ergo Naboto, quæ meum ſtipent latus,
Deduc cohortes, quaque ſe ſtringit via,
Arctumque vix ad Regiam callem ſinit,
Illic maniplos cautè in inſidijs loca.
Si cinctus armis, militum robur trahens
Antigonus ad nos tendit, inſulta, & neca:
Sin verò inermis, pergere ad Regem ſine,
Eſt innocens inermis, armatus, nocens.



Syrenum Chorus præmia Rhetorum deferebat, quibus distributis maritimam choream in ipso mari peragebat, & denique Orion equo vectus marino in terra saltationem habuit.

Gl. OPtima præ cunctis poscit sibi præmia Rhetor,
Optima Sforziadum, quæ porrigit inclitus Heros.
Zephyritides puellæ
Vaga Thetios chorea,
Risus vndarum, lepor, & voluptas
Vada salsa concitato
Lambite, currite, serpite lapsu:
En vecta conchis Sfortia præmia
Recensete merentes.
Nunc ad Mineruæ gloriam
Addite plausus, addite saltus
Nymphæ iocosæ,
Agilesque flexuosis
Cædite, tundite Cærula plantis.




ACTVS



ACTVS QVINTVS

SCENA PRIMA



Manasses, Rubenus, Ioab.

Ma. DEdiſce fraudes; tempori exitium caue.
In te ferox tormenta, laniatus, cruces,
Horrenda cuncta Regis excutiet furor,
Ni mox Oniam detegas veri tenax
Rub. Sibi vni Onias conſcius, cunctos latet.
Ma. Tibi patet vni conſcio pluſquam ſibi.
Rub. „ Grandia latenter digerit quiſquis ſapit.
Ma. „ Geminuſque follis grandibus vires ciet.
Rub. „ Dolus paueſcit conſcios. *Ma.* Fidos amat.
Rub. „ Fides labaſcit. *Ma.* Rarius amicus labat.
Rub. Ignota ſabor? *Ma.* Nota; tibi Onias patet.
Rub. Vel Tartaro profundior Onias latet
Subire cordis clauſtra quis cogat Deus?
Ma. Rubene temet indue, & Oniam exue.
Fraus proditoris ſubolet; & Regem ferit
Odor malignus: penè confoſſos gemit
Et me, & parentem patruus Oniæ dolo,
Et te Veternus opprimit? mutus ſiles?

Et vis per ora vulnerum demens loqui?
Si vera pandes, Regis, & noſtræ domus
In te perenni gratia allapſu fluet.
Ioab. Tua lucra durus reſpuis? ſortem fugas
In te profuſam? ſequeris infidum, biceps,
Cœlo, ſoloque ſemper infeſtum caput?
Hæres? hebeſcis torpidus? te te excute,
Hominiſque ſenſus excita. *Ma.* Fidam cape
Amice dextram, iunge conſtantem fidem,
Animiſque iunctis fœdus æternum voue.
Rub. Iam penè currit naufraga ad ſyrtem ratis;
Infauſta vela vertere, & curſum iuuat.
Dextras Amice nectimus, ſed fortius
Nectamus animos; vna nos ſtringat fides.
Ma. Vnuſque ſemper ſpiritus iungat duos.
Rub. Abiuro Oniæ nomen, abiuro dolos:
Et iacta fraudum ſemina ad meſſem impiam
Regi fidelis integra exponam fide.
Ma. „ Regem petamus: promouet clades mora.
Rub. Præi, & benignas regias aures para.

SCENA SECVNDA.

Rubenus, Nuncius.

Nun. AD caſtra greſſum flecte; ſpe tumidus noua
Te properè Onias ad ſpei partem vocat
Rub. Me properè Onias cladis in partem vocat.
Nun. Tua expetit molimina. *Rub.* Exitium magis
Nun. Per caſtra palpat militem donis, prece,
Speique grato nectare inſpergit nouæ.

Rub.

Rub. Spargit venena; palpat ad pestem suam.
Nun. Quis te repentè casus, aut spes, aut metus
Peruertit, aut Erymnis, aut numen potens,
Rub. „ Qui fraude fraudem, scelere qui fulcit scelus
„ Sibi met ruinam construit: captans dolo
„ Capietur ipse. Perditus plenis ruit
Velis Onias: fraudibus inundans nouis
Vorago scelerum vortice abreptum trahet.

SCENA TERTIA.

Rex, Manasses, Rubenus.

Rex. ACcede, Regem propius, & sceptrum cole
Rubene; liber prodeat vocis sonus;
Quidquid loquaris, Regis excipiet fauor;
Et lingua verax munera, & laudes feret.
Rub. Adoro frontem, pectus, & linguæ notas;
Et digna cœlo decora virtutis colo.
Testor Tonantem, testor hoc regni decus,
Perspecta fabor; duplicem fraudem mouet
Bifrons Onias, vnus vt sceptrum gerat.
Tibi prima nectit retia; Antigonum tibi
Sceptri rapacem pingit, & sceptro viam
Per tua parantem funera; vt falso fidem
Addat colori, fingere immanes dolos
Per te Nabotum cogit, & fraudis notas,
Arcisque claues credere, vt credat sibi.
Rex. Quot ille vultus gessit? & cordis vices
Quas finxit idem? feruet, elanguet, tremit,
Anhelat, horret, ingemit, friget, calet.

Quis tam doloſas cautior vitet plagas?
„ Cùm ſæpe veris aptiùs falſa aſſonent.
Rub. Vt prima fraudis alea ex voto obtigit,
Iacit ſecundam; triſtis Antigonum petit,
Tuam in Nabotum gratiam, diris, probris
Inſequitur acer; inde vix credens ſibi
Fæda in Nabotum congerit; velle integrum
Haurire regnum; quærere ad cædem tuam
Cæci furoris aſſeclas, tempus, locum.
Fidem meis, aiebat, inditijs negas
Frater? Naboti ex ore captabis ſcelus.
Inſenſa Regi ſenſa, titubantem fidem
Simula Naboto, rebus inhiantem nouis.
Prætende mentem, ſponte ſe prodet nefas.
Regi Nabotum panderem; at Regis fauor
Nimis Nabotum prouehit: fictos metus,
Noſtraſque fraudes crederet; quales ſolent
Et liuor aulæ texere, & Regum fauor.
Sed tu Naboti ex vnguibus certos potes
Excutere teſtes. Ordinem, tempus, modum,
Fraudis patrandæ Syngrapha ſcriptum pete,
Arciſque claues, quas Manaſſes deferat
In caſtra, quò te miles impatiens vocat.
Hæc ille, & aſtu blandulo fratrem impulit.
Rex. O Terra, Cœlum, Tartara, ò Rerum Arbiter
Spectatis hæc, & languidæ torpent faces?
Nec mundus in ſe corruens monſtrum premit!
Perge ad Nabotum concito curſu, Nepos,
Anguſta qua ſe ſtringit ad Turrim via;
Huc militem reducat actutùm impera,
Iuſſiſque noſter annulus firmet fidem.

Eſt

Est innocens Antigonus; at fratris dolo
Iam penè telis obrutus nostris iacet.
At tu cruente Proditor, gentis piæ
Enorme monstrum, viuus, aut noctem horridam
Trahes sepultus, aut trucidatus cades.

SCENA QVARTA.

Nabotus. Rex.

Nab. PEracta res est. Militum turmas trahens
Præcinctus armis ductor angusto viæ
Captus meatu debitas pænas dedit.
Rex. Heu me! trahit ne Antigonus an clausit diem?
Nab. Clausit cohortis regiæ fossus manu;
Armisque clausum seruat extinctum cohors;
Arctumque iunctis obstruit telis iter.
Rex. Heu me scelestum, perditum, infamem, impiũ!
Abominandum Tartari monstris caput!
Cruore fratris linge fumantes manus;
Exple furorem Cerbere, insontis vora
Fratris cadauer, sanguinem insontis bibe.
Hos tibi triumphos, Frater, hos currus paro,
Nempe in feretro? Victor ad fratrem redis
Subacta Idume, fratris vt ferro cadas?
Sic tua rependo merita! tu nostrum caput
Ardens tueris, quod Naboti fraudibus
Peti innocenter credis; ego amoris vice
Lethale vulnus infero: sed sis nocens,
Causa quis vnquam mactat indicta reum?
Solus ego potui, & volui, & in fratrem vibro

Ferale fulmen, omne ius, fasque obtero,
Et quod fugit natura, vesanus sequor.
Optate frater, anxius quales preces,
Quæ vota fudi, sospitem & patriæ, & mihi
Vt te, subacto redderet Numen Syro?
Oriente victo facilis, ac dexter Polus
Te sospitem iam reddidit, vt ictu meo
Lacer perires; vota sceleraui, & preces;
Votis petebam sospitem, factis neco.
Vitare potuit hostis insultus tua
Virtus, & ardor. Arte qua poteras manum
Vitare fratris? sed quid impurus pium
Incesto nomen Fratris? Hyrcanæ feræ,
Vrsæ, leænæ, Stymphali, Lernæ stygis,
Assume voces, te decent; fratrem exue,
Hominisque quam contaminas formam, abijce
Migra in Colubrum; potius ad fratrem migra,
Abrumpe vitam, mortis i fratri comes;
Mortis per vmbras fratris amplexus pete;
Si te peremi Carnifex, frater sequar,
Fratri fui ipse carnifex, mihi erit dolor.

SCENA QVINTA.

Superuenit Manasses.

Ma. PErijmus, heu Rex, vicit & fraus, & nefas.
Exulta Onia, victor exulta furor.
Fratrem, ac parentem frater, ac natus gemunt.
Orbatus ergo Patre pupillus miser
Ad Patruum confugio; tu patris vice

Solare

Solare miserum pedibus abiectum tuis:
Miserere flentis; tergere hos fletus potes;
Tua me potest leuare miserijs manus.
In hæc nepotis viscera Mucronem, patris
Adhuc tepentem sanguine immerge, insere.
Patrem trucidas impius, natum pius.

Rex. Me me nocentem potiùs obtrunca, nepos;
Cœlum quid vltra fœdo? quid terram grauo?
Hanc tolle tabem; pura respiret dies.

Ma Iniustè nato pernegas, quod das Patri?
Redde aut parentem filio, aut natum Patri.

Rex. Ego te scelestus perderem, Tu me pius.

Ma: Mori volenti non piè mortem negas.

Rex. Mori merenti vulnus haud iustè negas

Ma. Te iam cruentum meus hic haud fædat cruor.

Rex. Me iam cruentum meus hic absterget cruor.

Ma. Mihi vita mors est, & mori vitæ loco.

Rex. Heu quem peremi, viuat in nato parens.

Ma. In Patre perij totus & patri, & mihi.

Rex. Quin me trucidas vltor, & patris, & tui?

Ma. Me vult amantem Patrui extinctus pater.

Rex. Te vult cruoris genitor vltorem sui.

Ma. Amore fratris æstuat patris cruor.

SCENA SEXTA.

Superuenit Antigonus.

Ant. QVæ forma visum lácinat? strictus chalybs
Vulnus minatur! fratris, & nati caput
Sibi poscit ictum? somnio? an vera intuor?

Rex. Heu fratris vmbram conſpicor. *Ma*. Carũ ſopor
Vultum redonat. *Ant*. Vera vos ſpecies mouet;
Antigonus adſum. *Rex*. Forſan hic vltrix ades
Imago fratris: impium en pectus; feri.
Ma. Hunc, Patris vmbra, ſpiritum tecum cape.
Rex. Laruis Auernus me petit: *Ma*. Patris tamen
Hæc larua grato mulcet obtutum dolo.
Ant. Extra ſoporem ludor? an ſomnos traho?
Quid hoc? in vmbram ſoluor, & ſpectrum mei?
Ma. Quid te perempto viuo ad ærumnas Parens?
Rex. Ego te peremi: cædis vltrices tuæ
In me chymeras, gorgonas, ſphingas voca
Ant. Infauſta cædis nomina, vltrices feras
Abijcite; ſoſpes viuo, & amplexus peto.
Rex. Frater reſurgit! *Ma*. Redditur vitæ parens?
Ant. Reſurgo nunquam mortuus? quæ vos premunt
Erroris atra nubila? E caſtris tuo
Accitus adſum, frater, imperio, nihil
Paſſus malorum; quis meam veſtris necem
Infixit animis? error hic ludos agit.
Rex. Renaſcor. animus remigrat, & vitæ vigor
Viuente fratre. Iam quid amplexus moror?
Mea lux, meus amor; frater, optato datur
Pendere collo? *Ant*. Fortius cordis fibræ
Nexus amoris implicant. *Rex*. Dulcis calor
Duo corda ſoluit, gratius & vnit duo.
Ant. Abire totus ardeo in fratris ſinum
Ma. Datum eſt abunde fratribus: dextram Pater
Concede nato. *Ant*. Cordis expando ſinum.
Ma. Patris calorem ſentio, & quiddam patris
Mea ſenſa mulcet, fonte vitali fruor.

Ant.

Ant. O mea voluptas, vna votorum quies,
In te reclinat animus, & viuit ſibi.
At me interemptum vana quæ finxit modò
Imago veri, pande. *Rex.* Rem paucis loquar.
Dolis Oniæ captus, extimui mihi
Te perduellem Frater; hinc ſtrictis via
Qua flexibus proſerpit, inſidias loco,
Vt ſi maniplos militum armatos trahens
Huc tenderes, præoccupent cædem tuam.
Hanc iam peractam teſtis oculatus refert
Nuper Nabotus. *Nab.* Balteus, criſtæ, chiamys,
Inſigne galeæ, totus armorum decor
Clauſum ſub armis prorſus Antigonum indicant.
Ant. Heu me! timore ſoluor, horrore opprimor.
Mea iam parabat arma, & ornatum ſibi
Hircanus ipſe cingere. *Rex.* Heu fata effera!
Ma. Conſpirat in nos Erebus. *Ant.* O vtinam prior
Arma induiſſem, quò mea potius nece
Tua repuliſſem damna laceratus, Nepos.
Rex. Felix recepto fratre, deuoluor miſer
Nato perempto. *Ma.* Vita, ſi frater perit,
Mihi nulla reſtat. *Rex.* Ductor explora ocyùs
Foſſum cadauer, vulnere vt certo cadam.
Nab. Reſecate luctus: ſoſpes Hircanus redit.
Rex. O fauſta rurſus ſydera! *Ant.* O luctum breuē!
O ter beata gaudia! *Ma.* O vitæ iubar



SCE-

SCENA SEPTIMA.

Hircanus superuenit.

Hir. NVnquam refulsit clarior regno dies.
Regnat Tonantis, regnat vltoris manus.
Pœna in scelestum corruit; Onias Iacet
Telis cohortis regiæ extinctus iacet.
Rex. Iacet malignus Hydros? & nostro iacet
Confossus ictu? luce securus fruor:
In nos vibrata fulmina retorsit Deus
,, In proditorem; sæpè retrogradus dolus
,, Alijs paratus flexit in se se malum.
Ant. Fratris pudendi facinus extremum refer.
Hirc. Ad iussa Regis promptus Antigonus pedem
In Regiam reflectit; at flammas vomens
Turmas Onias circuit; prensat duces,
Compellat omnes: si quis Antigono fidem
Tuetur, inquit, rapiat, & mecum inferat
Violentus arma. Liuidi Regis furor
Laudem perosus fratris in fratrem ruit.
Vel innocentem tegite, vel si tardiùs
Opem feremus, sanguinem inuicti Ducis
Certè haud inultum vestra patiatur fides.
Fremens ad hæc exarsit armorum fragor;
Dextram, fidemque deuouet miles ferox,
Ducemque sequitur perfidum: ferrum rapit,
Se seque vecors stimulat, & præceps ruit.
Iam campi Onias Dominus, Antigoni vices,
Et arma captat, seque vix capiens præit

„ Agmen furentum. Pæna ſed ſtygium caput
„ Præibat vltrix: ipſe vix inter minas,
Fremituſque acerbos militum huc flexi pedem.

SCENA OCTAVA.

Superuenit Centurio.

Cent. ERror tuorum lumina atque aures tuas,
Auguſtè, tenuit; quippe ſupremi ducis
Quis non ſub armis credat Antigonum tegi?
Inſigne capitis tegmen, & quidquid micat
Sparſum per arma, prænotant belli ducem;
At nunc Onias ferreo clauſus dolo
Armis apertis patuit, & quiddam inſolens
Spirat cadauer, quodque nec poſſit diù
Horrore diro preſſus obtutus pati
Rex. „ Bene eſt. Olympus regna, non caſus regit.
Grates Olympum, victimæ vltorem Deum,
Fratrem Triumphus, Regiam riſus decet.
Sacra, & profana gaudia, & plauſus ſonent.

FINIS.



PER.

PERSONAE.

Ariſtobulus Rex Iudææ.	Donatus Succhius.
Antigonus Regis frater, & exercitus Imperator.	Carclus Anthæus Verninus.
Onias frater Regis carcere detentus ob ſuſpiciones rebellionis.	Ioſeph Naldus.
Hircanus Regis filius.	Io: Baptiſta Federicus Scarlattus.
Manaſſes Antigoni filius.	Ioannes Baptiſta Magnonus.
Nabotus Regis intimus.	Cyriacus Lancetta.
Rubenus Oniæ à ſecretis.	Paulus Ciognius.
Ioabus Manaſſis conſanguineus	Ioannes Baptiſta Bottinius.
Princeps Senatus.	Baglionus Carradorus.
Senatores Hieroſolymæ.	(Iulius Vincentius Bottinius. (Angelus Falcarius. (Paulus Genga.
Abnerus Antigoni familiaris.	Philippus Bonecchus.
Aletes Supremus Prætorij Præfectus.	Iulius Vincentius Bottinius.
Centurio.	Iulius Vincentius Bottinius,
Nuncius Oniæ.	Ioſeph Puteobonellus,

ARGONAVTAE CHOREAM AGENTES.

Alexander Sinibaldus.
Marchio Claudius Malaſpina.
Ioannes Baptiſta Federicus Scarlattus.
Ioannes Valentinus Cherubinus.
Philippus Bonecchus.
Vincentius Brancadorus.

Bellonæ Comites Pyrrhicum bellum celebrantes.

Andreas Melonius.
Angelus Falcarius.
Baglionus Carradorus.
Franciſcus Dominicus de Rocchis.
Gaſpar Villalobus.
Ioſeph Carradorus.
Ioſeph Puteobonellus.
Iulius Vincentius Bottinius.
Paulus Genga.
D. Petrus de Ponte.

Leones ad rythmum ſaltantes.

Andreas Stanghellinus,
Dominicus Mozzonus.
Hieronymus Capoblancus.
Ioſeph de Orchis.
Ioſeph Iannellus.
Vrbanus Breccica.

Syrenes maritimam choream peragentes.

Alexander Antinorius.
Auguſtinus Bellontius.
Bernardus Delpinus.
Franciſcus Molara.
Gregorius Burattus.
Ioannes Antonius Florinus.
Io: Baptiſta Bottinius.
Io: Baptiſta Mutius.
Ioſeph Panizza.
Michael Angelus Pompeius.
Nicolaus Ferentillus.
Thadæus Pennagallus.

Orion equo vectus marino in terra ſaltationem habens.

Marchio Claudius Malaſpina.

PRAE.

PRAEMIA CONSEQVVTI.

In tertia Classe Grammatices.

Primum præmium meruit Carolus Andreas de Nicolais.
Secundum Ioannes Baptiſta Gorus.
Tertium Comes Fabritius Paulucciuſ.
Quartum Bernardinus Pariſius.

Proximè acceſſerunt.

Dominicus Leonardus.
Paulus Rota.

In Græca Oratione.

Dominicus Coma.

In ſecunda Claſſe Grammatices.

Primum præmium conſequutus eſt Io: Antonius Querengus.
Secundum Aloyſius Cangius.
Tertium Iacobus Philippus Bruſculus.
Quartum Ioannes Philippus Polidorus.

Proximè acceſſerunt.

Michael Angelus Rodus
Olympius Camillus Raggius Sem. Rom. Conu.

In Græca Oratione.

Ioſeph Santinus Sem. Rom. Conu.

In prima Claſſe Grammaticæ.

Primum meruit præmium in ſoluta oratione Laurentius Ferrerius Sem. Rom. Conu.
Secundum Bernardinus Franciſcius,
Tertium Marcus Fratellinus.

In

In Carmine primum præmium eſt conſequutus Nicolaus Buſſius.

Secundum Ioannes Baptiſta Bonalea.

Tertium Petrus Bettinus.

In Græca Oratione.

Marchio Octauius Macchiauellus Sem. Rom. Con.

Proximè acceſſerunt ſoluta oratione.

Ioannes Antonius de Leonibus.

Apollonius de Apollonijs.

Proximè acceſſerunt in Carmine.

Aſcanius de Silueſtris.

Franciſcus Morſolanus, & Prudentius Cecchinus æquales.

In Claſſe Humanitatis.

In ſoluta oratione primum præmium habuit Ioannes Ioſeph Angeluccius Sem.Rom.Cler.Conu.

Secundum Septimius Palutius.

Tertium Paulus Puteobonellus.

Proximè acceſſerunt.

Franciſcus Oliuerius.

Bonauentura Cinaldus.

In vincta Oratione.

Primum præmium retulit Hortenſius Perchilus

Secundum D. Antonius Carrafa Sem.Rom.Conu.

Tertium habuere Abbas Octauianus Corſinus, & Dominicus Sauinus æquales.

Proximè acceſſit.

Hieronymus Cincius.

In Græca Oratione.

Marchio Hieronymus Tolomæus.

In

In R*hetorices* C*laſſe.*

In ſoluta oratione præmia meruere Primum Bartholomæus Ginus,

Secundum Andreas Riccius.

Tertium Petrus Petrinus.

Proximè acceſſerunt.

Io: Lombardus Sem. Rom. Conu.

Franciſcus Antonius Ginus.

In C*armine.*

Primum Franciſcus Antonius Ginus.

Secundum Io: Baptiſta Bottinius.

Tertium. Io: Lombardus Sem. Rom. Conu.


Proximè acceſſerunt.

Petrus Petrinus.

Franciſcus Argentinus.

In Græca Oratione.

Io; Chryſoſtomus Phæus.



I*mprimatur,*

Fr. Raymundus Capiſucchus, Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſter, Ordinis Prædicatorum.



